





*Fr. S. num. 43.*

*1766, 12*

**DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O IN AVGVRALIS  
DE  
DONATIONE  
CAPITE DAMNATI  
AD L. XV. D. DE DONAT.**

QVAM  
EX DECRETO  
ILL. IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**CAROL. FRIDER. WALCHIO**

IVR. DOCTORE ATQVE PANDECT. PROFESSORE PUBLICO ORD.  
CYRIAE PROVINC. SAXON. COMMVNIS IVRISCONS. ORDINIS AC  
SCABINOR. COLLEGII ADSESSORE SOCIET. LATINAЕ  
IENENSIS EPHORO ATQVE FLORENTINAE  
COLVMBARIAE COLLEGA

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN IVRE HONORES CONSEQUENDI

D. XVI. IUL. CCCCCCLXVI.  
PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTIT

AVCTOR  
**M. CHRIST. LVDOV. KERNER**  
HECHINGENSIS.

IENAE  
LITTERIS STRAVSSIANIS.



DISTRIBUTIO INAGNARII  
DONATIUS  
CAPITI  
ITA MAM  
EX DECIMATO  
THE UNIVERSALIS CULTIVATIONIS  
PARADISO  
CHRONO TRIUMPHALIS  
AITIA PRAE  
GENEVA  
TRANSLATE EUDORUM DISCUSSIONE  
SOCIETATI  
CHRISTIANA DOV. EBRINGER  
MAN  
LITERATURA



DISSERTATIO  
DE  
DONATIONE  
CAPITE DAMNATI  
AD L. XV. D. DE DONAT.

S T N O Ψ I S.

**P**OSTQVAM dicendorum summa indicata §. I.

Et, quibus terminis facultas capitis damnatorum donandi circumscripta fuerit ante Seueri tempora, monstratum §. II. III.

Ad constitutionem de donationibus, huius imperatoris aetate latam, proprius se vertit oratio. Eum insinem nominantur invicconsulti, qui illius memoriam conseruarunt §. IV.

Atque imperatores, qui illam condiderunt; §. V.

Deinde autem legis argumentum ita exponitur, ut partim donationes post contractum crimen capitale factae illestitrentur, ideoque notio donation-

num, quarum hac in constitutione mentio fit, §. VI. et

Significatus criminis capitalis eruat, §. VII.

Præterea autem, quid sit crimen capitale contractum, ostendatur, §. VIII.

Partim, eiusmodi donationes non valere, demonstretur, §. IX.

Et final conditio, a legislatoribus adiecta, illustretur, §. X.

Quibus expositis, adiciuntur consuetaria, quae, ba ex lege ducenda sunt, §. XI. XII. XIII.

E tandem, quomodo ea, quae Romani statuerant de donationibus capitis damnati, nostra aetate obtineant, explicatur, §. XIV. et XV.

A

§. I.

## §. I.

**E**tsi plerique illorum, qui quotannis ob scelestia sua ac nefaria facinora capite puniuntur, nihil relinquunt, neque habeant, vnde iudici suppeditentur sumptus, ad criminis inuestigationem necessarii; nonnunquam tamen etiam ii, quibus lautum est ac copiosum patrimonium, tanto scelere contaminare se solent, vt id nulla re possit; nisi ipsorum supplicio expiari. Quodsi in illorum censum cadat reus, non opus est explorare, num testari, donare; vel alienare quid possit alio modo isque operam perdit atque oleum, qui id conetur inuestigare. Quicunque rationis sunt participes; neque ignorant, de illo, quod non exsistit, nihil posse affirmari, statim perscipient, superuacaneum fore hunc laborem, vbi inops sit reus; quodsi vero aliquas habeat facultates, elegans profecto est quaestio, num alienare ille possit bona; nec ne? tantoque diligentiore contemplatione dignum effatum MARTIANI a): post contractum capitale crimen donationes factae non valent ex constitutione diuorum Seueri et Antonini; nisi condemnatio secuta sit. Explanabimus istud hocce libello idque vt rite fiat, ad id merito primum respiciamus, quod de eiusmodi donationibus ante MARTIANVM statuerunt Romani: deinde ipsam legem explicabimus ac denique usum illius hodiernum ostendamus.

## §. II.

a) l. 15, D. de donationibus.

## §. II.

ANTIQUIS temporibus erat hoc in more positum institutoque Romanorum, ut quos capite damnarent, seruos poenae declararent declaratosque punirent. Quodsi repetamus ortum huius consuetudinis a fonte, illum in celeberrimis illis legibus videmus, in quibus facinus esse statuebatur, ab aliquo praetore; vel praefide vinciri ciuem Romanum: scelus verberari, prope parricidium necari, teste CICERONE b). Neminem profecto, qui non penitus ignorans est rerum, a Romanis gestarum, fugit, tam singularia iura ciubus Romanis fuisse concessa eaque praeferunt variis legibus, Valerii, sacratis, duodecim tabulis, Porcia et Sempronius esse confirmata. Quod quum litteratissimi homines docebat et copiose demonstrarunt, superuacaneum foret, si id exponere vellemus. Plura itaque de hac celebratissima sanctione haud proferimus satisque habemus obseruasse, illam fuisse parentem seruitutis poenalis. Hoc si sciamus: non solum nobis profecto haud mirum videtur,

A 2

si

b) orat. v. in Verrem, cap. libv. III. p. 41. IO. ERNEST. EUTINERVS, de ciuitate Romana, virginemini exenta, Ienae cIc CLXXII. CHRIST. FRID. VON HAVEN de ciue Romano, Hafniae cIc cCCX. IO. CASP. SANTAROC de apostoli Pauli ad ius ciuitatis Romanae provocatione, Marburgi cIc cCCXVII. CAR. HENR. LANGIVS de immunitate ciuis Romani a certis poenis, dissertatione Ienae cIc cCCXVIII, in lucem emissâ, aliquie.

c) tam singularem fuisse ciuitatis Romanae auctoritatem, vt qui illa frueretur, neque tormentis adfici; neque virginis caedi vel verberari posset, copiosius monstrarunt CAR. SIGONIVS de antiquitate ciuitatis Romanae, libi. I. cap. 6. tom. I. p. 82. PETRVS FABER, libr. II. senectrium, cap. 7. p. 84. IO. FRANC. RAMOS, de error. Triboniani de poen. parricid.

si seruitutem memoratam esse antiquissimam; nec Romanis regum aetate incognitam deprehendamus; sed facili etiam negotio, quid sit seruitus poenalis, possumus discere. Recentiores quidem iureconsulti ortus illius inuestigatione superferderunt; sed **IUSTINIANVS d)** iam nos docet, seruitutem **illam esse ab antiquis legislatoribus sancitam et ex supplicio illatam.** Qui vero sunt antiqui illi legistatores? Ostendit id **LIVIVS e)**, dum de Tullio Hostilio narrat, eum legem dedisse, vt criminis capitalis rei primum perduelles iudicandi essent a duumuiris, eumque, vt haec lex obseruaretur, in causa Horatii voluisse, animaduertit. Quum vocabulo *perduellis* hic alia iam subiecta est notio idque pro eo adhibet **LIVIVS**, qui est hostis, peregrinus iuribusque ciuitatis Romanae priuatus, quemadmodum eleganter docent **IAC. RAEVARDVS f)**, **GEORG. CHRIST. GEBAREVVS g)** ac **CHRIST. GOTTFR. HOFMANNVS h)**: sponte ex memorato **LIVII** effato sequitur, vt iam Tullii Hostilii aetate reus ciuitate priuatus sit ante; quam ultimo adficeretur supplicio Tulliusque primus per hanc sanctionem introduxerit seruitutem poenalem. Illam fuisse antiquissimam, ex his luculenter constat; quod si vero vniuersam eius ac propriam vim volumus complecti, recte illam **GERH. NOODTIVS i)** atque **CHRIST. WAECHTLERVS k)** nu-

merant

*d) Nouell. XXII. cap. 8.*

*b) biflor. iuris, vol. II. part. I.*

*e) libr. I. cap. 31. tom. I. p. 114. ed. ARN. DRACKENBOR-*

*p. 54.*

*CHII.*

*i) probabilitum iuris, libr. III,*

*tabular. cap. XXVII.*

*cap. ult. tom. I. operum, p. 57.*

*g) in diss. de Tullo Hostilio, §. II. 12.*

*k) not. ad Gerb. Noodt, probabil.*

*in illius opusculis rarioribus, p.*

*335*

merant interfictiones iuris. Conueniunt in eo omnes iurisconsulti, veluti TIT. POPM A<sup>l</sup> ), IO. FRID. GRONOVIVS m) EV. OTTO n), IO. GOTTL. HEINECCIVS o), IOS. MERCELIVS p), IAC. CVIACIVS q), et CONRADUS RITTERSHVSIVS r) quod, qui serui poenae fuerunt facti, poena quadam essent puniendi hancque ob rem serui antea declarati; quaerenti vero, qualis esset ista poena? non vna et constanti ratione ferunt responsum. TITVS POPMA s) seruos poenae eos vocat, qui in metallum et in opus metalli; vel qua alia poena damnantur, quae corporis laborem et seruitutem irrogat, quocum confipirare vindicentur IOS. MERCIERIVS, t) atque CONRAD. RITTERSHVSIVS u). IO. FRID. GRONOVIVS x) distinguit inter seruos poenae proprie sic dictos atque impropios et per filios seruos poenae, qui ad gladium; vel ad bestias; vel in metallum damnati sunt; per hos quoscumque, in quos animaduerter iubetur, intelligit. Abhorrere haud videtur ab illius sententia EVER. OTTO y); GERH. NOODTIVS z) contra, IO. GOTTL. HEINECCIVS a) atque CHRISTFR. WAECHTLERVS b) capitali supplicio

A 3

dam-

l) de operis seruorum, p. 168.

m) libr. 1. obseruationis, cap. VIII. p. 77.

n) not. critic. et commentar. in institutiones, p. 97.

o) antiquitat. Roman. tom. 1. p. 207.

p) libr. 1. opinionum, cap. IX. tom. II. thesauri iuris civilis OTTO-

NIS, p. 1569.

q) libr. III. obseruat. iuris, cap. X.

r) commentar. novo ad institutiones, libr. 1. tit. XII. §. 3. p. 88.

s) de operis seruorum. p. 168

t) libr. 1. opinion. cap. 9. p. 1569.

u) loc. excitat.

x) libr. 1. obseruat. cap. 8. p. 77.

y) loc. excit.

z) libr. III. probabil. cap. vii. tom. operum, p. 67.

a) element. iuris civilis secundum ordinem institut. libr. 1. tit. III. §. LXXXIII.

b) opusculis rarioribus, p. 335.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-344539-p0009-0

DFG

damnatos poena fuisse seruos existimant. Tanta quamvis sit hac in re inter iurisconsultos discordia: nobis tamen statim, in quamnam sit discedendum sententiam, pater, vbi eam, quam supra tradidi, seruitutis penalis sciamus originem. Quum ideo introductam esse illam constat, propterea quod ciuem romanum capite punire haud liceret ac nihilominus inter ciues existerent, qui hac poena essent digni: quilibet profecto intelligit, errare **POP MAM, MERCERIUM, RITTERHVSIVM** penitus nosque potius statuere debere cum **NOODTIO**, eos seruos esse poenae, qui ciues fuerunt Romani et postea, quum capite, siue naturali, siue ciuili puniendi essent, declarati sunt serui. Dicit quidem **VLPIANVS c)**: *seruos in metallum; vel in opus metalli item in ludum venatorium dari solvere nulla dubitatio est et si fuerint dati, serui poenae efficiuntur*: eosdem homines solum nominat **MARTIANVS d)** atque **HERMOGENIANVS e)** et **IVSTINIANVS f)** ipse ita definit seruos poenae: *serui autem poenae efficiuntur, qui in metallum damnantur; et qui bestiis subiiciuntur; nemo vero putare debet, omnes his in effatis seruos poenae nominare voluisse iurisconsultos.* Multos alias illos silentio praeteriisse omnesque potius, qui morte siue ciuili, siue naturali plecterentur, seruos declaratos esse, evidentia extant documenta. Quum obseruat **CAIVS g)** eos, qui vltimo suppicio damnantur, statim et ciuitatem; et libertatem perdere: nemo mirari debet, **VLPIANVM b)** ita scribere:

sed

c) l. 8. D. de poenis.

d) l. 17. D. b. t.

e) l. 36. D. b. t.

f) §. 3. Inst. quib. mod patr. pot. solu.

g) l. 29. D. de poenis.

b) l. 6. §. 6. D. de iniust. rupb.

et irrit. testam.

sed et si quis fuerit capite damnatus, vel ad bestias, vel ad gladium; vel alia poena, quae vitam adimit, testamentum eius irritum fiet: non tunc, quum consumitus est; sed quum sententiam passus est. Nam poenae seruitus efficitur, atque id alio loco *bb)* repeti. Clare ex his patet, antequam poena capite damnato fuerit irrogata, factum eum esse poenae seruum. Num quadam cum ceremonia in seruitum talem derrusus fuerit reus, nobis haud est notum; nisi quid ex *CATONE i)* coniicere velis; reum vero lata sententia, in hunc statum peruenisse, non solum supra memoratum *V L P I A N I* effatum, quod damnatum seruum effici dicit, docet; sed comprobat id etiam, bene obseruante *IO. F R. G R O N O V I O k), M A C E R l)*: nam statim, inquit, *vt de his sententia dicta est, conditionem suam permutant et T H E O- P H I L V S m)* hanc in re praesertim claram praefert facem. Ita enim ille: ἐκατηγορέθη τις, ὡς δόν πλημμελήσας, εἴτα τῇ σύμμαχος ἀποδειχθέντος, ὁ ἄρχων ἀπεφένυτο, πέμψω σε εἰς μετάλον ἢ παραδίδωμι σε θηρίοις, έτος ἐνδέος δοῦλος γίνεται τῷ πικάδῃ, *n)* accusatus est quis, *vt quid deliquerit postea criminis probato magistratus pronuntiavit, mitto te in metallum; aut bestiis te trado.* *Hic statim seruus fit poena.* Quaeftores ciuem haud itaque necabant; sed negabant solummodo, reum esse ciuem et eum poena, quam meruit, adficebant. Optulabantur transminime fontibus; nihilominus tantum absuit, *vt trans-*

gre-

- bb) l. 25. §. 3. D. de adquir. vel l) L. IO. §. 1. D. de poenis.  
om. hereditat. m) parapbr. inst. tit. quib. mod.*  
*i) Confer WAECHTERVM patria petef. §. 3.*  
*epusculis, p. 335.* *n) ita legit, cum CVRTIO  
k) loc, memorat.*

gredarentur leges de Romano ciue non occidendo, vt illam potius, tam artificiosa vrentes fictione iuris, seruarent constantissime. Omnia haec effectus erant seruitutis poenae. Cognita erat minime solum reipublicae temporibus: quid quod neque a CONSTANTINO <sup>o)</sup>; vel VALENTINIANO <sup>p)</sup> atque ARCADIO <sup>q)</sup> abrogatum illam esse, cum THEOD. MARCILIO <sup>r)</sup> atque EVER. OTTONER <sup>s)</sup> possumus statuere; sed IVSTINIANVS <sup>t)</sup> primus fuit, qui non opus esse iudicaret, vt quis, antequam capite puniatur, poenae declararetur seruus.

## §. III.

H A E C si praemittamus: luculenter iam ex iis colligere possumus, ab antiquissimis temporibus criminum reos libera donandi caruisse facultate, satisque superque, spero, ea docent, eiusmodi homines fuisse seruos poenae,

CAR. AN. FABROTUS, in sua editione Theopili, quae Lutetiae anno superioris seculi LVII. lucem adspexit. Dissentit ab eo CHR. OTTO REITZIUS, qui quum in editione, quae ann. CLOCCCL. Lugduni Batavorum prodiit, tom. I. p. 125. τη τικορία legit, hoc vocabulum refert non ad δέλλος; sed ad sequentia potius verba: ἐκπίπτων ψυχόν πολιτείας; sed libens profiteor, me non videre rationem, cur, deflextam a sententia Fabrottiana.

<sup>o)</sup> L. 25. D. adquir. velom. hered.  
<sup>l.</sup> 7. cod. Theod. de poenis.

<sup>p)</sup> l. 8. cod. Theod. de poenis.

<sup>q)</sup> interpretat. institution. p. 91.

<sup>r)</sup> loc. cit. Imperatores memoria-  
tos poenam ludi gladiatoriorum pariter  
ac venatorum abrogasse, libentes con-  
cedimus. Ex quo quamuis seque-  
retur, vt illi, qui alioquin poena  
hac fuerint digni, haud amplius  
facti sint serui; non eos tamen fer-  
uitutem poenalem abrogare voluisse,  
possumus statuere.

<sup>s)</sup> Nou. XXII. cap. 8.

<sup>t)</sup> §. 3. I. quib. mod. patr.  
pot. solu.

poenae, hancque seruitutem exstissem fictionem iuris. Quam quum tum adesse constat, vbi quid non existit; vel non factum est; sed existere; vel fieri potuit hancque in rem leges, eamdem rem reuera esse; vel factam esse fingunt: necesse est, vt reos, quamvis per fictionem solum iuris detrundantur in seruitutem; ipsorum tamen seruorum adnumeremus censui. Belle id demonstrat IVSTINIANVS <sup>a)</sup>, vbi capite damnatos seruos, vti eos vocat, poenae effectos inter illos resert, qui maximam patiuntur capitinis deminutionem quive patria priuantur potestate ideoque dupli ex ratione possumus demonstrare, etiam ante constitutionem Antonini et Seueri, a MARTIANO <sup>x)</sup> memoratam, donare haud potuisse criminum reos. Serui I) erant hincque nihil habebant in bonis: ipse enim seruus, inquit IVSTINIANVS, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. Ex quo quum colligerent iurisconsulti antiquiores, capite damnatos haud posse testari, id quod bene animaduerit VLPIANVS <sup>y)</sup>: sed et si quis, ait, fuerit capite damnatus; vel ad bestias; vel ad gladium; vel alia poena, quae vitam adimit, testamentum eius irritum fit et non tunc, quum consumptus est; sed quum sententiam passus est. Nam poenae seruus efficitur: tuto etiam ex eo concludimus, eiusmodi capitinis reum haud potuisse donare. Domatatio

<sup>a)</sup> loc. citat.

<sup>x)</sup> L. 15. D. de donas.

<sup>y)</sup> L. 6. §. 6. D. de iniust. eirite. efflam. Praesentim id monstrarunt et A.M. STRYKIVS diff. de prohibi-

tis testari et LVD. MENCKE-  
NIUS diff. de testamenti facione,  
damnatis ad mortem iure civili dene-  
gata et pterisque moribus adserita,  
Lipf. CICLO CLXXXIIII.

tio enim est liberalitas in accipientem, nullo iure cogente, collata hincque donator dominium rei, quod antea ipse habuit, in alterum transfert. Clare id patet atque ita in promptu est, ut nulla prorsus egeat disputatione; alia tamen etiam II) ratione demonstrare hanc rem possumus. Qui historiae vicissitudinum iuris non penitus est ignarus, illum haud fugit, ann. V. C. 10XXXXVIII. a tribuno plebis, M. Cincio Alimento latam esse legem Cincinnat de donationibus hincque tertio capite praecipisse, *vt in donatione, quibusunque personis facta mancipatio traditio interueniret:* z) vt scilicet res donata cum quadam sollemnitate, praesentibus quinque testibus, libripende atque antestato, donatario traderetur, quemadmodum mancipationem CONR. VAN BYNCKERSHOECK a)

CAR. FERD. HOMMELIVS b), GERH. MEERMANNVS c) aliisque describunt. Num haec sanctio sit eo consilio facta, ne inconsiderate atque inconsulte donare possit donator, vt putat FRID. BRVMMER cc) non inquirimus, satisque habemus, mancipationem peragi potuisse inter solos ciues idque ius dein post longum temporis spatium etiam extensum esse ad Latinos colonarios, latinos Iunianos eosque peregrinos, quibus datum est rerum commercium. Luculenter id patet ex CICERONE, CAIO atque VLPIANO. Quum iste dicit d): *abalienatio est eius rei, quae mancipi est:*

z) BRVMMERVS ad L. Cincinnat, cap. 13. p. 195.

a) opuscul. de rebus mancipi et nec mancipi, cap. 1. tom. 11. opusculorum. p. 77.

b) diff. de origine diuisonis rerum in mancipi et nec mancipi, Lips. 1610. cccxiiii.

c) diff. de rebus mancipi et nec mancipi, Lugduni Batav. 1610. cccxxviii.

cc) commentar. ad legem Cincinnat, cap. xiii. in opusculis iuridico philo logicis, p. 205.

d) libr. 111, topicor.

DE DONATIONE CAPITE DAMNATI. XI

pi est; aut traditio alteri nexus; aut in iure cessio inter quos ea iure ciuii fieri possunt; ille vero de mancipatione ad- firmat e), eam esse ius proprium Romanorum: et VLPITANVS primus animaduerit f): mancipatio locum habet inter ciues Romanos et latinos colonarios latinosque Iunianos eosque peregrinos, quibus commercium datum est: belle ex eo conieEturam FRID. BRVMMERIG) et HIERON. ALEANDRI b) videmus comprobata, mancipare potuisse primum solos ciues idque deinde fuisse permisum etiam Latinis colonariis pariter ac Iunianis. Hoc quum introduceret lex Cincia: nouum iam exsistit argumentum, ex quo testatum facere possumus, nec capitis damnatos Romae donare potuisse libere ante Seueri atque Antonini constitutio- nem. Quodsi quoque quis adsimilare conaretur, reos in fi- ctam; sed non veram redactos esse seruitutem; nemo tan- men illis locum adhuc tribuet inter ciues Romanos. Quod quum necessarium esset, lata lege Cincia, vbi quis dona- re velit, si quidem mancipare ille debuit hincque ciuitate Romana ipsi fuit opus: vel minimum post latam legem Cinciam reus non liberam donandi habuit facultatem. Nullum quidem nobis reliquum est effatum, ex quo istud constaret; per consequentiam tamen ex eo id colligimus, quod eiusmodi criminum poenae fuerint serui. Si iam id respiciamus, quod de illis tradidimus supra, multa nobis

B 2

nobis

e) apud BOETHIVM, libr. III. in iurisprud. Anteiuslin. SCHVL-  
commentar. in topirc. Ciceron, Trans- TINGII, p. 621.  
lata sunt haec verba in libr. I. institut.

Caii, libr. I. tit. VI. p. 53. g) loc. memorat.  
h) notis ad Caium libr. I. instit.

f) fragment. tit. XVIII. §. 4. iiii. §. 3. in iurisprudentia Ante-  
instittanea SCHVLTINGII, p. 59.

nobis clara forent, quae antea visa sunt maxime obscura. Quum seruitus poenalis iam regum fere tempore fuerit cognita: ex eo scimus, iam sub imperio regum angustis terminis licentiam reorum donandi fuisse circumscriptam. Commune exstitit hoc malum ab illo abhinc tempore, omnibus, qui capite damnati sunt, quippe omnes servi facti sunt poenae; illorum donationes tamen valuisse, quae factae sunt, ante; quam lata de ipsis fuit sententia, ex eo coniicere eodem modo licet, quod prius haud fuerint servi poenae.

## §. III.

HISCE praemissis, proprius ad sanctionem imperatorum, SEVERI atque ANTONINI licet accedere. Integram quidem illam esse conferuatum, non constat; eius tamen partem, qua de donationibus loquuntur legum latores, refert MARTIANVS. Multos esse, qui illius aetatem in Antonini pii tempora cadere sibi persuadent, veluti IAN. VINCENT. GRAVINA<sup>i)</sup> ABRAHAM. WIELING<sup>k)</sup> aliquique; falli tamen eos iurisconsultumque nostrum temporibus memoratorum imperatorum, SEVERI atque ANTONINI floruisse, dudum animaduerterunt EVER. OTTO<sup>l)</sup>, IO. SAL. BRVNNOVELLIUS<sup>m)</sup>, CHRIST. GOTTFR. HOFMANNVS<sup>n)</sup>, et nuper

10.

<sup>i)</sup> orig. iuris ciuilis, p. 120.<sup>m)</sup> bistor. iuris Rom. I, cap. 10.<sup>k)</sup> in iurisprud. restituta, pars. p. 105.  
prior. indic. II. p. 62.<sup>n)</sup> bistor. iuris iustin. vol. I.<sup>l)</sup> vita Papiniani, cap. II, p. pars. I, cap. 1, period. V, secund. 1, p. 346.

33.

IO. AVG. BACHIVS <sup>o)</sup> AC GERHARD. OELRICH S <sup>p)</sup>. Ad quod quum accedit, quod in institutionibus vniuersam iuris prudentiam compendiaria traderet via et, quid iuri per recentissimas semper imperatorum leges fuerit obrogatum, curate animaduertere studeret MARTIANVS, obseruante HENR. NORDKERKIO <sup>q)</sup>, non potuit fere fieri; quin transferret in librum suum hancce constitutionem iurisconsultus. Exsistit praesertim multis ac diligens in citandis SEVERI atque ANTONINI constitutionibus <sup>r)</sup>, vt caesarum gratiam forsan sibi conciliaret quumque in libro tertio institutionum ea fere tradidisse videtur GVIL. GROTIOS <sup>s)</sup> AC IO. GOTTL. HEINECCIO <sup>t)</sup>, quae in initio libri II. institutionum exposuit postea IVSTINIANVS: disputauit quoque de donationibus. Definire studuit personas, quibus licuit donare, hancque in rem haec quoque adnotauit <sup>u)</sup>: *post contrahitum capitale crimen donationes factae non valentia ex constitutione diuorum Seueri et Antonini; nisi condemnatio secuta sit.* Inuidit quidem

B 3

MAR-

<sup>o)</sup> histot. iurisprud. Romanae, libr. cap. 2. p. 496.

<sup>p)</sup> dif. de vita, studiis bonisibus et scriptis Ael. Marciani, Ultrai. ann. cl. I. c. LIV. edita, cap. III. <sup>q)</sup> obseruat. iuris Romani, cap. II. p. 34.

<sup>r)</sup> testes eius rei sunt: l. 31. de conduct. indebiti: l. 17. de pignorat. actione: l. 15. de SC. Macdoniano: l. 46. de contrab. emt. l. 16. depigior. l. III. l. 112. 114. <sup>s)</sup> de vit. iurisconsult. libr. II. cap. 9. <sup>t)</sup> opusculorum. postumor. tom. III. p. 590.

<sup>u)</sup> l. 15. D. de donat. Scriptis q. delegat. l. I. 123. 124. de ann. se MARTIANVM hocce ef.

MARCIANVS nobis ipsa legis verba; eius tamen partis, quae de donationibus sermo est, argumentum ex hoc effato discimus. MODESTINVS non minus; quam idem MARCIANVS alio loco nos docent, hanc legem solas ad donations haud pertinuisse. Ille obseruat, publicis iudiciis; siue criminibus commissis, non alias transire aduersus heredes poenas honorum admitionis; quam si lis contestata et condemnatio fuerit secuta hincque addit x): adeo, ut D. Seuerus et Antoninus rescriperint, ex quo quis aliquod ex his causis crimen contruxit, nihil ex bonis suis alienare; aut manumittere eum posse; hic vero in loco libri primi de publicis iudiciis, ab auctoribus librorum Basiliakov conseruato et ex iis in codicem translato de crimine maiestatis loquitur atque ait y): sic et diui Seuerus et Antoninus constituerunt, ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare; neque manumittere eum posse; nec ei soluere iure debitorem magnus etiam Antoninus rescripsit. In vtroque loco quam legis mentio fit, quam tulerunt SEVERVS atque ANTONINVS de alienationibus capite damnatorum: conjectura, hancce atque supra memoratam sanctionem vnam esse eamdemque atque in illa imperatorem, quemadmodum postea in celebratissima lege z) ARCADIVS et HONORIVS fecerint,

ce effatum, postquam iam viuis defuncti erant SEVERVS atque ANTONINVS, ex eo constat, quod diuorum adpellationem nominibus adiicit; istud tamen non multum post mortem illorum esse exaratum, ex eo cum GERH. OELRICHS vit. Marciani, sect. II. cap. I. p.

65. colligere licet, quod in duobus primis libris imperatores non dum diui vecantur et id in tertio, ex quo lex nostra est delibatur.

x) l. 20. D. de public. iudic.

y) l. 8. C. ad l. Ital. maiest.

z) l. 5. C. eiusd. tit.

cerint, de quibuslibet alienationibus, venditionibus testamentois aliquaque esse loquutum, nobis non videtur improbabilis idque eo minus, quum ipse ALBER. GENTILIS a) ab illa non videtur abhorre.

## §. V.

QVIS legis nostrae conditor sit, tradit MARCIA-  
NVS b), quum eam *constitutionem diuorum Seueri atque Antonini* vocat et cum illo conspirat MODESTINVS c); hos vero imperatores fuisse LVCIVM SEPTIMIVM SEVERVM ET MARCVM AVRELIVM ANTONIVM CARACELLAM, recte animaduertunt IAC. RAEVAR-  
DVS d) et ABR. WIELING e). Quicunque rerum, a Romanis gestarum, non penitus est ignarus, illum haud fugit immensa atque infinita, qua Seuerus adfectus erat, pecuniae cupiditas. Reuocabit ille profecto in memoria effarum HERODIANI f), quo de Seuero dicit: Χαλεπίνων πρὸς ἔχθρος, τὸ δὲ ληθὲς ὑπερβαλλόσης ἐν εὐτῷ Φιλοχειματίας, φέδεις γὰν βασιλέων ἐτῶ χειμάτων ἡττήθη, vlciscens inimicos; sed reuera subiente auaritia, qua supra omnes imperatores laborauit; quibusdam vero interiecit: ἐτῶς ἐν αὐτῷ ἐπλήθυνε τὸ Φιλοχειματον ἐξ ἀδικίας Φόνων εκ τῆς τυχεῖσης αὐτος, ita quiaſtui supra; quam dici posset addictus, iniustis caecidiis atque adeo cui cui modi ex causa pecuniam colligebat. Confirmat idem DIO CASSIVS g): immo

a) libr. 1. de coniur. p. 19.

b) l. 15. D. de donat.

c) l. 20. D. de public. iudic.

d) libr. 111. varior. cap. 10.

e) iurisprud. restituta, part. pri-  
ome, p. 373.

f) libr. 111. bifloriar. cap. 7.

g) libr. LXXXVI. p. 869. Con-

immo euidentia eius rei documenta exstant in ipso legum nostrarum corpore atque in <sup>3</sup> SEVERI, quae in illo continentur, sanctionibus. Eiusmodi auaritiam sapient illius decreta de bonis damnatorum, ut recte obseruat HENR. KLOECKHOF b); eamdem vero odo ramur in illius legibus, quibus sanxit, ut qui ex officio emere quid vellet vel per se; vel personam aliam, non tantum rem amitteret; sed in quadruplum conueniretur i): ut au ferrentur legata; vel fideicomissa liberto, qui patrum suum post mortem eius, quasi illicitae mercis detulerat negotiatorem k); et ei, qui ex ea prouincia duxit mandatum, in qua officium aliquod gerit l); ut tutores et curatores, qui officio deposito non restituerunt hereditatem, cum fisco haud contraherent m), ut res quae sine in controv ersia, haud distraherentur a procuratore n), ne procuratores caesaris bonorum actores ea, quae ad fisum sunt deuoluta, alienarent o) ut hi, quibus negotia fiscalia monentur, ad defensiones causae bona fide venirent p), utque ex testamento defuncti libertates praestari haud possent, hereditate non adita; vel si rei memoria propter crimen, quod morte non intercidit, esse damnata q). Haec auaritia est ani-

feras: SEBAST. NAR. TILLE-  
bistoir des empereurs et des autres prin-  
ces, tom. III. part. I. ant. XXXI.  
p. III4. LVDOV. ANTON. MVR-  
ATORIVS in der Geschichte Ita-  
lien, tom. I, p. 545.

b) hist.or. iur. de bonis damnator.  
cap. VI. 145.  
i) l. 46. D. de contrab. emtione.

k) l. I. D. de his, quae vs indig-  
aufer.

l) l. 2. D. b. t.

m) l. I. §. 9. D. de leg. Cornel. de  
fals.

n) l. 22. D. de iure fisci.

o) l. 30. D. b. 3.

p) l. I. C. rem alien. gerentibus.

q) l. 20. D. de public. iudicijis.

animi adfectus, qui caesarem nostrum potissimum determinauit, vt constitutionem promulgaret; neque id sine ratione. Superuacaneum id quidem fuisse, ex ante traditis forte quispiam concluderet, quum iam antea capite damnato non liceret donare; sed Romani solum id partim ex seruitute poenali, partim ex lege Cincia per consequentiam collegerant. Quum seruitus poenalis inciperet post condemnationem: ante illam reo liberum fuit donare, quamuis crimen commiserit: quamdiu vero, quaeso, durauit lex Cincia? Persticit illa, vt fatis aperte monstrauit CORNEL. VAN BYNCERSENHOECKR) haud per longum tempus. Summae itaque imperatoribus nostris se offerebant rationes, nouam hac de re fisciendi legem. MARTIANVS<sup>s</sup>) quidem nos non docet, ad quasnam constitutionum species referenda sit illa; sed MODESTINVS<sup>t</sup>) ostendit, rescriptum esse, quum rescriptisse id Seuerum atque Antoninum tradit. Adquiescere, tamen his nos oportet. Quaerenti enim, ad quem rescriptum hoc fuerit datum: num fuerit epistola; an sola sub; vel adnotatio: quando illud sit conditum, leges haud definiunt. Quum adiectum videmus Antonini nomen, ex eo merito colligimus, SEVERVM iam cum filio suo diuissime imperium; antequam fecerit hanc legem hincque illam factam esse inter annos seculi secundi nonagesimum octauum et sequentis decimum; quisnam vero fuerit inter hos duodecim annos, non liquet; neque altero in effato docet

<sup>r)</sup> libr. VII. obseruat. iuris Rom. cap. XVII. tom. II. operum, p.

<sup>s)</sup> L. 15. D. de donat.  
<sup>t)</sup> L. 8. C. ad leg. Int. mai.

docet MARTIANVS <sup>u)</sup>). Quamuis in eo loco, quo nostrae constitutionis meminit, tradat, SEVERVM atque ANTONINVM legem tulisse, datam ad rationales, tertio nonar. martias; eum tamen aliud rescriptum intelligere, ex tota orationis patet structura. Primum enim nostrae legis mentionem facit: tum obseruat, Antoninum magnum, hoc est, Antoninum Caracallam solum, ut recte monet IAC. RAEVARDVS <sup>x)</sup>, rescriptisse ei, qui crimen maiestatis laefae contraxit, haud soluere iure debitorem ac denique ait: *et si decesserit quis propter incertam personam successoris, bona obseruantur, si in causa maiestatis fuisse mortuus arguatur, ut Seuerus et Antoninus litteris ad rationales missis rescripserunt.* Dat. 3. non. Mart. Abunde haec docent, adcuratam rescripti nostri, si illius externam respicimus formam, nos non habere notitiam; illam tamen scire, nostra non multum interest, quum, quid de donationibus capitris reorum sanxerit, adcurate referat MARTIANVS.

#### §. VI.

LOQVITVR lex nostra de donationibus; *sive conuentiobibus, de re in alterum gratis transferenda initis;* longe tamen ille falleretur, qui omnes donationes, omni discrimine remoto, intelligendas hic esse, sibi persuaderet. Duplicibus potius terminis circumscribitur in hac lege donationis notio. Illud fit, dum hasce donationes nominat MARTIANVS <sup>y)</sup>: *post contractum capitale crimen donationes factas.*

<sup>u)</sup> loc. cit.

<sup>x)</sup> libr. III. variar. lect. cap. IO.

<sup>y)</sup> L. 15. de donationibus,

ēas, id quod libri ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ ita conuertunt z): ἀπεξι  
άντε μετὰ τὸ ἀμάρτημα γνόμεναι δωρέαι. Requirit itaque  
MARTIANVS partim, vt donator crimen commiserit capi-  
tale; partim, vt istud crimen capitale sit contraētum; ante-  
quam factae fuerint donationes. Vtrumque respicere debe-  
mus, vbi nosse libet, quemadmodum definitae sint donatio-  
nes reorum, quae inualidae sunt.

## §. VII.

CRIMEN ut alibi; ita quoque nostra in lege nihil aliud  
est; quam *contrauentio legis poenalis spontanea*; illud ta-  
men, quod committere debet donator, MARTIANVS  
non vocat simpliciter *crimen capitale*: interpres vero in  
libris ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ id graece ἀμάρτημα conuertit a). Quodsi  
quidem graeci huius vocabuli perpendamus vim ac potesta-  
tem: illam latissimam deprehendimus, uti *vetus glossa* nos  
docet b): ἀμάρτημα ἐστὶν ὅπερ παρὰ γνώμην τῇ ἐνὸς εἰς λύπην  
ἐπείνου παρατίνος πρωτεῖ, νοῦ ὅπερ ὁ νόμος γενέσθαι ὡς  
βόύλετο σὺν ἐσὶ ή κλοπὴ, τὸ ζημιῶσα τινά, τὸ ἀρπάσσα,  
τὸ ὑβριζάντα τὰ ὄμοια, neque tamen interpretem omnia  
ἀμαρτήμata, sed ea solum, quae sunt capitalia, intel-  
ligere, ipse nos docet, dum antea dicit: τῇ δωρησαμένες  
νεφαλικῶς παταδιαθέντος, δωρέαι, *donationes donatoris*  
*capitaliter puniti*, hincque declarat, se de iis criminibus  
loqui, quae sequatur capitale supplicium. Conspirant ita-

C 2

que

z) libr. XXXXVII. titul. I. §. b) *gloss. verborum inris*, quae tom.  
XIIII. tom. VI. p. 174. ed. FA- III. ibef. inr. ciuit. OTTONIS, p.  
BROTI. 1751. editae sunt.

a) loc. memorias.

que cum ipso MARTIANO graeci iuris libri in eo, quod *capitale* debeat esse *crimen*; istud vero vocabulum duplicem sustinebat significationem: alteram latam; alteram strictiorem. Neminem, qui tiro solum existit in iurisprudentia leuemque capitis deminutionum habet notitiam, fugit, caput habuisse Romanos duplex, naturale ac ciuale hocque libertatis, ciuitatis ac familiae in se continuisse iura. Quum hoc denotaret vocabulum *caput*: colligebant inde iuris consulti, capitis poenam subire haud posse seruos, vt ex VENULEIO c) obseruant M. ANTON. MVR ETVS d) et I. GVL. MARCKARTVS e): immo talem subiecerunt iu verbis: *res capitalis*: *poena capitalis*: *capitis accusatus* notionem, vt licet MODESTINO omnis caussa existimationis capitalis haud videretur; ille tamen sub nomine *capitalis poenae mortem*; vel *anissem ciuitatis* intelligendam esse censeret. Haud errasse iurisconsultum, tamque latum significatum hoc vocabulum omni profecto tempore sustinuisse, certum est atque expeditum. Quodsi excurrere licet in ipsum scriptorum veteris Latii campum, apud LIVIVM f) iam T. Quintus de die rei capitalis Caesoni dicta loquitur, qui exilio solum est pulsus: immo PLAVTVS g), SILIVS ITALICVS h) atque IVSTINVS i) crimen, quod capitis, siue naturalis; siue ciuilis meruit poenam, capitale

VO-

c) l. 12. §. 4. D. de accusat.

et inscript.

d) probabilib. receptar. lectionum,

parte, l. p. 17. f).

e) obseruat. iuris libro singul. cap.

2. tom. IIII. thes. iuris ciuilis OT.

TONIANI, p. 143.

f) libr. III. cap. 14. tom. I.

operum p. 591. edit. ARN. DRA-

KENBORCHII.

g) Menaechin, act. I. scen. I. v. 16.

h) libr. XIII. puncor. V. 155.

p. 645. ed. DRAKENBORCHII.

vocarunt, uti vberius id monstrant: FRANC. MODIVS *k*), ARN. DRACKENBORCH IVS *l*), SAM. TENNVLIVS *m*), IO. FRED. GRONOVIVS *n*) et IAC. RAEVAR DVS *o*). Neque tamen fere nobis iam praefidio opus est priscorum scriptorum: ipsi enim iurisconsulti nostri faciunt id testatum. Quum Proculeiani dogmatibus Stoicis praesertim solum solerent hincque omni studio verborum originem inuestigarent: iam LABEONE M existimasse refert T E RENTIVS CLEMENS *p*), *capitis accusationem eam esse*, cuius poena mors; aut exilium eslet. Discedit in eius sententiam AFRICANVS *q*), quum rei capitalis damnatum ita definit: *rei autem capitalis damnatus intelligitur is, cui poena mors;* aut aquae et ignis interdictio sit atque V L P I A N V S *r*): *is denum videtur capitinis accusasse, qui tali iudicio appetit cuius poena aut supplicium habuit;* aut exilium, quod sit vice deportationis, vbi ciuitas amittitur et alio loco *s*): *rei capitalis damnatum sic accipere debemus, ex qua causa damnato vel mors;* vel etiam ciuitatis amissio; vel seruitus contingit: et cum omnibus his conspirat C A L L I STRATIVS *t*), quum ad capitales poenas ultimum supplicium: metalli coercitionem, deportationem in insulam refert, ac de ceteris solum adfirmat, eas ad capitinis periculum non

C 3

per-

*i) libr. II. cap. 7.**o) libr. III. varior. cap. 29.**k) not. ad Iuslin. libr. II. cap. VII.**p) l. 10. D. de iure patronat.**p. 81.**q) l. 13. D. de honor. possif.**l) not. ad Silium Italicum, libr.**r) l. 14. §. 3. D. de bonis li-**XIII. punicor. v. 155. p. 645.**bert.**m) not. ad Frontin. libr. IIII.**s) l. 2. pr. D. de poenis.**fl) aetegmatic. cap. VI. §. III. p.**t) l. 28. pr. D. de poenit. 2. D.**473. ed. OVDENDORPII.**Republ. ind.**n) lection. Plautin. p. 196.*

pertinere. Haec quum ita sese habeant, nemo profecto mirabitur, quid sit, quod dictiones iudicium, crimen capitale tam latam sustinuerint notionem, ut IVSTINIANVS illud ita definiat: u) *capitalia dicimus, quae ultimo supplicio adficiunt homines; vel etiam aquae et ignis interdictione; vel metallo; strictiori tamen etiam in significatu sumptum esse hoc vocabulum, ex tribus liquet legibus.* In una curate crimen capitale distinguitur ab illo publico crimen, quod sanguinis poena non sequitur x): *transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio prohibitum non est; in aliis autem publicis criminibus, quae sanguinis poenam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem.* Hancce legem sanxerunt DIOCLETIANVS et MAXIMINI ANANVS; duas alias debemus CONSTANTINO, in quarum altera relegationi deportationique insulae opponit supplicium capitale y) et non iam relegatione; aut deportatione in sulae plectatur; sed supplicium capitale excipiat; in altera vero dicit z): *si qua cum seruo suo occulte rem habere detegitur capitali sententiae subiugetur tradentibus ignibus verberone.* Duplicem itaque notionem vocabulum: *capitale crimen* habebat, quumque latiori sensu crimen est, *cuius poena consistit in priuatione capitis, siue sit naturale; siue ciuile; strictiori crimen* vocare possumus, *quod ultimo coeretur*

u) §. 2. I. de publicis iudiciis.

x) L. 18. C. de transact.

y) L. 5. C. ad leg. Iul. devi. PER-

z) l. un. Cod. de mulier. quae se

prop. seru. iunx. Videendi sunt. AN-

DRI. ALCIATVS, commentar. in

tit. D. de verb. significac. p. 404.

PETRVS FABER, libr. II. feme-

brum, cap. XIV. HVG. DONEL-

LVS not. ad l. 18. C. de transactio-

nibus et IOS. FERNANDEZ DE

RETES excusa, anadectorum libr.

III. tom. V. thesaur. iuris ciuiliis Ot-

tonianis, p. 1247. et IO. ORDVIN.

WESTENBERG dino Marco, diff.

XXI. p. 225.

cetur suppicio; neque vero definire tamē difficile erit, quid sibi voluerit MARTIANVS, quum de capitali iudicio loquitur. MARTIANVS in illorum iurisconsultorum, VLPIANI, MODESTINI aliorumque tempora incidit, in quibus nondum tam arctis limitibus notionem vocabuli capitale iudicium circumscriptam scimus. Cui quum accedit, quod etiam post MARTIANVM: immo Iustiniani aetate semper ea huius loquutionis vis fuerit ac potestas, ut poenae capitales non solum ad caput naturale; sed et ad civile spectarent et quae illae sequebantur, crima dicerentur capitalia: ideo eamdem definitionem tam in graecis *a*); quam germanicis *b*) iutibus reperiamus: immo recentiores iurisconsulti, ANDR. ALCIATVS, *c*), CONRAD. RITTERSHVS SIVS *d*), PETRVS FABER *e*), HERM. VVLTEIVS *f*), GERH. NOODTIVS *g*), PAVL. AERODIVS *h*), ANT. MATTHAEVVS *i*), ZACH. HVBERVVS, *k*), IO. GOTTL. HEINECCIVS *l*), IO. ORDW. WESTENBERGIVS *m*) ac IOS. FERN. DE RETES *n*) omnes in eo conspirent, quod iure Romano omnia crimina, quae mortem; vel

*a*) conferas THEOD. BALSA-  
MONEM in commentar. iuris, p.  
117. sqq.

*b*) not. ad Quinc. decl. 371. p. 613.  
edit. BVRMANN.

*b*) testes hanc in rem produc-  
mus leges Wiligothorum, libr. VI.  
tom. II. § 3. p. 2017.

*i*) comment. ad libr. XLVII,  
XLVIII. D. decimini. proleg. cap. 6.  
p. 30.

*c*) loc. excitat.  
*d*) commentar. noue in institut. p.  
756.

*k*) diff. iurid. libr. III. diff. v.  
cap. 3. p. 528.

*e*) libr. II. semeistr. cap. 3.  
*f*) commentar. ad institut. p. 842.

*l*) tom. II. antiquitat. iuris, p.  
318.

*g*) libr. II. obseruat. cap. 25. p.  
345.

*m*) princ. iuris secundum digest.  
ord. libr. XXXXVIII. tit. I. tom.  
II. operum, p. 717.

*n*) libr. III. analectoy. exens

capitis deminutionem maximam et medium proceant, existant capitalia: duplex inde ducimus consecutarium. Discimus ex illis, Constantium improprie esse loquutum, dum capitale supplicium aliis opponit poenis o); ex iis vero simul patet, MARTIANVM omnia hic intelligere crimina capitalia: neque mortem solum; sed etiam capitis deminutionem maximam et medium sequi solum oportere crimina, commis- sa a donatore, si donatio debet esse inualida.

## S. VIII.

REQVIRVN T itaque donationes, de quibus nostra lex loquitur, crimen quoddam, quod commiserit donator, capitale; sed, nisi omnia me fallunt, angustioribus adhuc terminis rem circumscribit legislator, quum addit, crimen debere esse contractum. Non solum MARTIANVS noster caute voculam hanc addit: *post contractum capitale crimen;* sed bene etiam conuenit nostro cum iurisconsulto APINIANVS. Qui quum ad�cat ea, quae de criminibus capitalibus generatim exposuit MARTIANVS, ad crimen perduellionis, non minus est cautus et ait, se loqui de do-

tom. v. thes. iuris Roman. Otton. p.  
1254.

o) adcurate enim vocabulum: *capitis poena* distinguere debemus a crimen capitali. Illud ordinarie solum poenam, qua quis vita priuatur naturali, significare, libentes concedimus, siquidem in primis hac de re eruditè disputat IACOB. CRYPTVS, libr. V. ειναστῶν, cap. 81 tom. V. thes. iuris civil. Otton. p. 287.

et ex L. 11. § 3. D. de poenis: l. 3. in fin. D. ad l. Cornel. de Sicar. l. 7. §. 3. De leg. Iul. repet. l. 4. §. 2. D. de re milit. aliisque iuris locis id monstrat; capitale vero crimen ampliore ordinarie habere vim ac potestatem, nemo potest iniurari. Aliam notionem capitis poenae indicat CORNELI VAN BYNKERSHOECK libr. I. obseruat. iuris, cap. I. tom. I. oper. p. 6. fqq.

nationibus post crimen perduellionis contractum p). Quemadmodum nostri conatum, *Vorsate*; siue attentatum crimen sedulo a perpetrato distinguunt multoqne mitiores existunt in illo puniendo; ita eamdem differentiam veteres statuerunt inter conatum et crimen perfectum; antequam donationes inualidas censerent, quod loquutio: *crimen contractum*, alioquin in iure adhibita q) satis superque docet. Hoc quum sciamus: merito hic statim duo conjectaria ex his ducere nobis licet, de quibusnam donationibus sit sermo. Quum saepenumero accidit, ut scelus, licet sit commissum ac contractum, non statim vindicetur ac priusquam manifestetur, longum praeterlabatur temporis spatium: I) omnes donationes hunc in censum veniunt, quae factae sunt, commissio flagitio, siue sint post; siue ante crimen imminens promissae et ab altero acceptatae. Respicio, dum haec trado, ad aliud MARTIANI effatum r): qui rei postulati; vel qui in scelere deprehensi, metu criminis imminentis mortem sibi consciuerunt, heredem non habent. Scribit iurisconsultus, illum metuere crimen imminens, qui flagitio se polluit: eius iam fit accusatus; vel deprehensus, hancque ob rem nobis haud obscure significat, crimen imminens denotare minime absolutionem perfectionemque criminis; sed eius publicam accusationem. Haec profecto donationem antecedere haud debuit, si omnes illae eum in censum veniunt, quas factas esse constat

com-

p) L. 31. §. 4. D. de donationib.

r) L. 3. D. de bonis eorum, qui

q) L. 20. et 22. D. de poenis: ante sentent.

L. 5. D. ad leg. Iul. maiestatis,

D

commisso crimine. Neque vero minus II) fallerefut ille, qui legem nostram de iis solum donationibus, quae factae sunt *in reatu*, intelligeret. Defendere quidem se posset ab erroris crimine, si eam vocabulo *reatus* subiiceret vim potestatemque, quam ei dederunt **A R C A D I V S** et **H O N O R I V S** s), ubi tempus criminis ac reatus coniungunt et vtrumque unum esse ac idem, declarant; verum enim vero prorsus singularem huius vocabuli hic adhiberi notionem, cuilibet statim patebit, cui nota sunt alia iuris auctorum effata, quae memoriam voculam habent. Omnia in eo conueniunt, quod per reatum statum eius intelligunt, qui flagitium commisit eiusque iam est adscusatus. Messalam inuentorem ferunt huius verbi, teste **Q V I N C T I L I A N O** t). Praeter illum mentionem eius faciunt **M A R T I A L I S** u), ac **P R V D E N T I V S** x), e iurisconsultis vero **M O D E S T I N V S** y), **M A R T I A N V S** z), **V L P I A N V S** a), ac nonnullae utriusque codicis, **T H E O D O S I A N I** et **I V S T I N I A N E I** leges b). Omnes mirifice comprobant definitionem nostram reatus taciteque per id docent, **M A R T I A N V M**, dum de omnibus donationibus, solummodo commisso facinore, factis loquitur, etiam eas comprehendere, quae post contractum crimen, ante reatum sunt conditae.

### §. IX.

- s) *L. 9. C. de bonis proscriptor.*      z) *L. 3. D. de bonis eorum, qui ad de *L. 1. cod. Thibed. de bonis proscriptor.**
- ante sententiam suam.*
- a) *L. 11. D. ad leg. Iul. Maiest.*
- b) *L. ult. de captu virg. L. 10. de bonis proscriptor. L. 3. de indulgent. L. 1. de adulteriis. et inscription. L. 1. ad leg. Iul. de adulteriis L. 9. de his, qui ad eccles. confug.*
- e) *libr. VIII. declam. cap. 3.*
- u) *libr. II. epigr. 24.*
- x) *hymn. diuin. v. 175. hymn. de natal. dominiv. 101.*
- y) *L. 25. D. de poenis.*

## §. IX.

HISCE de donationibus criminis capitalis reorum prouuntiat MARTIANVS: *eas non valere* c) ideoque idem, aliis tantum verbis, exprimit, quod de donis muneribus ue eorum, qui se crimine perduellionis polluerunt, sentit speciatim PAPINIANVS d), vbi ait: *illas ratas esse non posse*. Quid ea per verba sibi velit iurisconsultus, ita euidens est, ut nulla egeat disputatione: illa tamen non pure ac simpliciter profert; sed adiecta quadam conditione, quam tanto maiore cum sollertia illustrare debemus. Exhibit illam codex Florentinus ita: *post contractum capitale crimen donationes factae non valent, ex constitutione diuorum Seueri et Antonini, nisi condemnatio secuta sit;* sed hisce ex verbis conditionem, quam adiicere voluit MARTIANVS, discere nondum possumus, quum illa ex omnium fere suffragiis inter ea loca digestorum Florentinorum censenda sunt, quae sunt depravata atque corrupta. Acriter quidem ac maximo cum labore defendere studet electionem, quam tradidimus, et ab ea corruptionis maculam amouere iurisconsultus, nostrae academie quondam decus atque ornamentum, NIC. CHRIST. LYNCKERS e), auctoritate forsitan celebritateque codicis Pisani nixus; ista vero usque eo haud valet, ut cum viro summo hac in re consentiamus, quum, si verba ita essent composita, sequeretur, ut donatio rei condemnati valeret; contra irrita esset, vbi crimen istud ei sit condonatum. Absursum hoc esset sanaeque repugnaret rationi. Ab antiquissimis

D 2

itaque

c) L. 9. D. de bonis proscriptor. e) comm. ad L. 69. D. proscriptio,

d) L. 31. §. 4. D. de donatione p. 33.  
bus.

itaque temporibus iurisconsulti huic loco medicinam quaefuerunt. Qui vulgatam pandectarum editionem construxerunt, illi istam adhibere crediderunt, vbi priorem negationem ex propositione: *donationes -- non valent, cūcerent f).* Sequutus quidem eos est LAEL. TAVRELLVS g) minime, et ut semper laudem germani ac sinceri viri tueri posset, exhibuit locum ita, vt in codice reperitur; fatis tamē euidenter, scipsum dubitare de eius sanitate, declarauit, quum voculam: *nisi notis hisce: [] includeret.* Quum illis locos suspectos atque incertos indicaret TAVRELLVS, vt obseruat GVIL. BESTIVS b): non potuit non omnium fere animos oculosue per id conuertere in hocce effatum; in iis vero praeter LYNCKERVM exstitit nemo, qui sanum arbitratus esset locum ac reliquisset sententiam TAVRELLI. HVB. GIPHANIUS i), FRANCISC. BALDVINVS k), SCIP. GENTILIS kk), IO. MATT. BVSSY DE RABVTIN l), GVIL. FORNERIVS ll), GREG. HALOANDER m), IO. IAC. WISENBACH VS n), PETR. A TOVLLIEV o), IO. GVIL. HOFMANNVS p), EVER. OTTO q), IO. ORDVIN. WES-

STEN-

f) conferas: SIEGM. REICH. l) diff. de donation. propr. Traiect. LAVCHIVM, de negat. pandectar, ad Rhen. c) 13ccxxii. cap. 2. Florentiar. cap. 16. p. 318.

p. 13.

g) apud euendem, p. 318.

ll) libr. II. rerum quotid. cap. 30.

h) de ratione emendandi leges, cap. 26. p. 271.

m) ad L. 15. D. de donat.

i) ad l. 15. D. de donationibus.

n) diff. ad pandect. II. num. 20,

k) in disp. ad cap. 18. ad l. Iul.

o) collectan. diff. I. cap. 9. p. 38.

m) meletemat. academ. diffest.

kk) libr. I. de coniurationibus, cap. 27. p. 116.

xxviii. §. 10.

q) in Papijano, cap. 17. p. 716.

TENBERGIVS<sup>r</sup>), in eo mendum latere, statuunt, quod aliena manu syllaba: *ni* accesserit ad *si* hancque ob rem loco: *nisi condemnatio sit, secuta*, legunt: *si condamnationis sit secuta*; eorum vero coniectura ita munita est argumentis, ut summarum verisimilitudinem consequatur. Nemo profecto negabit hodie, menda etiam in codice Florentino reperiri posse; neque ex eo tuto argumentum duci ad sanitatem legis, quod illam ita exhibeat exemplum Pisanum<sup>s</sup>). Quum negligentia atque incuria scribarum saepenumero ranta fuerit, ut eius clara profecto reperiantur documenta, quae GVL. BESTIVS<sup>t</sup>), ac HIER. BRENCMANNVS<sup>u</sup>) referunt: facile contingere potuit, ut sribentes nomen ANTONINI eius ultimam syllabam repeterent; priusquam coniunctionem adicerent ac per id in errorem raperent lectores, ut arbitrarentur, esse voculam *nisi*. Quod quidem reuera accidisse, amplissimum profecto exhibit testimonium librī ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ<sup>x</sup>). Eorum autores minime ea ratione graece tradunt conditionem, qua eam exhibit codex Florentinus; sed clare loquuntur γε: δωρεαμένα οὐ φαλκῶς καταδιασθέντος αὐτὸν παρὰ αὐτῷ μετὰ τὸ ἀμάρτημα γενομένα δωρεαὶ σὺν ισχύουσιν, *si is*, qui donauit capitali supplicio damnatus sit post crimen admissum, donationes ab eo factae non valent.

D 3

Miri-

- <sup>r</sup>) princip. digest. libr. XXXVIII. <sup>u</sup>) loc. laudat.  
<sup>s</sup>) tit. 5. p. 464. <sup>v</sup>) libr. XLVII. tit. I. tom. VI.  
<sup>t</sup>) HENR. BRENCMANNVS, p. 174.  
<sup>y</sup>) libri. II. biflor. pandet. Florent. cap. <sup>y</sup>) ASCONIUS PAEDIANIUS  
<sup>z</sup>) LEOP. ANDR. GUADAGNI de libr. I. in Verrem. BARN. BRIS-  
<sup>z</sup>) pandet. florentinis, cap. 18. et SONIUS, libr. V. de formul. cap.  
<sup>z</sup>) CHRIST. HENR. ECKHARDVS 214. p. 454. et IO. GOTTL. HEI-  
<sup>z</sup>) bermeneut. iuris, libr. I. cap. I. NECCIVS, antiquitat. Roman. tom.  
<sup>z</sup>) de rat. euendand. leges, cop. I. II. p. 338.

Mirifice cum his consentiunt eorum interpretes, quumque iterum iam dudum obseruatum sit atque traditum, libros ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ praeclaram adferre opem et subuenire laborantibus iuris effatis hocque multis exemplis habemus compertum: merito in iis adquiescimus. Et cur quaeso amplius dubitaremus, amplecti supra laudatorum virorum sententiam? Vnicam nobis monstrat viam, qua id, quod percipi fere haud potuit in lege, intelligatur haecque, ut statim exponamus, commode sit explicanda.

## §. X.

REBUS ita comparatis, profecto nos non fallimur, si sub ea conditione existimemus, MARTIANVM donationes capites damnatorum validas pronuntiasse, si *condemnatio fit secuta*. Quum ab antiquissimis temporibus apud Romanos iudices, puniendis facinoribus praefecti, de accusatis sententiam vocula: *condemno*, ferrent illamque, vbi reum esse criminis crederent, tabella, tertia littera nota, significanter<sup>z)</sup>: non potuit non MATIANVS eamdem rationem vocabulo: *condemnatio* tribuere; quam ei quoque nostra aetate adsignamus. Est illa actus, quo quis criminis, in quod est vocatus, reus hincque simul poena, illud sequente, adficiendus rite declaratur. Vtrumque sit per sententiam; quam olim apud Romanos praetor, nostra aetate iudex, cui iurisdictio criminalis competit, pronuntiat. Poenae, quae subeunda erat damnato, necessario in condemnatione mentio fieri debebat. Licet distinguere videantur iurisconsulti inter poenam ordinariam atque extraordinariam et de hac solum requirant, ut illa

<sup>z)</sup> L. I. §. I. D. ad SC. Turpilian.

illa in sententia definitur, propterea quod ista lege sit iam determinata, ac sufficiat, vbi reus sciret, ipsum pendere debere poenam, eius facinori in legibus propositam; teste MARCIANO *a)*; recte tamen monet ANT. MATTHAEI *b)*, nostra aetate poenas omnes fere esse extraordinarias hancque ob rem semper nominandas. Vbi hoc sit factum, superucaneum forsitan videri potest, cum poena facinus coniungere, quoniam ex ista iam sectarium posset duci ad flagitium, propter quod puniatur; verum enim vero ita ratiocinati sunt Romani. Quum, fieri saltem potuisse, cogitarent, ut insatiabilem crudelitatem etiam exercerent iudices hominesque praeter meritum necarentur; neque vero inquam diiudicare possent, vtrum sententia eiusmodi capitalis aqua sit; an iniqua; nisi constaret de crimine, propter quod illa sit pronuntiata: sapienter sanctum inuenimus, vt facinus rei semper manifestari oporteret. Declarabatur illud non solum populo per *elogium criminis c)*, quod vbi in scriptis, *titulus d)*, vbi ore prolatum esset, *superdictio*

*a) comm. ad libr. XXXXVII. et XXXVIII. dig. de criminibus, p. 450.*

*b) de quo videndus est: ANDREAS FLORENS RIVENVS de elogii criminum, Vitembergae, 1510 CCLV.*

*c) conferas: TERTULLIANVM, in apologetico, cap. 2. p. 35. edit. HAVERCAMPPII; SVETONIVM, vit. Caligulae, cap. 32. tom. I. p. LXXX. DION. CASSIVM, libr. LIIII. p. 513. QUINTILIANVM, declamation. CCCII. quibuscum merito L. 3. §. I. D. de stellionatu et exemplum optimi nostri seruatoris coniun-*

*gere licet, cuius cruciatio vestigio esse impositum, IOANNES, cap. XVIII. v. 19. aliquique scriptores sacri testantur. Addas: IVST. EIPSIVM, de cruce, libr. II. cap. II. tom. III. operum. p. 1187. atque ANTON. BALDTWALHERVM, in invisiisch-bislorischen Betrachtungen über das Leyden und Sterben Christi medi,*

*d) L. 13. §. 16. D. de iure in. Ipius ritus vestigia reprehendimus in LAMPRIDIO, vit. Alexandri, cap. 36. SPARTIANO, vit. Seue-ri, cap. 2. et ZONARA, in Valentin,*

Etio e) vocabatur; verum etiam in sententia. Satis evidenter profecto hanc rem nos docet MARTIANVS, quum mentionem poenae non tam necessariam arbitratur; quam nominationem criminis f): si pronuntiauerit, de calumniatore scilicet, calumniatus est, condemnavit eum, et quamvis nihil de poenae subiecerit, tamen legis potestus aduersus eum exercebitur, quibuscum omnes sententiarum capitalium, a Romanis pronuntiatarum, formulae, quas nobis LIVIVS g), VALERIVS MAXIMVS h), CICERO i), CAESAR k), PAULLVS l), aliique, ab BARN. BRISONIO m), ANT. MATTHAEI n) excitati, conservarunt, quaeue omnes causam damnationis continent, sunt coniungendae. Haec quum ita sunt comparata hocque peragunt indices, ubi reum condemnant, tanto facilius perspici nunc potest, quid sibi velint iurisconsulti, quum condemnationem fecutam esse oportere contendunt, si de donatione capite damnavti pronuntiare quis velit, eam non valere. Per id clare significant, donationes minime, omni dis crimine remoto, esse reiciendas; sed probe casus esse distinguendos. Quod si quis facinus commisit, notatio dignum, vel in illud a iudice inquiritur; vel illud potius negligitur neque inuestigatur. Hoc si accidit, multo minus condemnatio sequi potest ideoque validae eius sunt dona\*

p. 30. TAC. CVIACIVS, libr.

VIII. obseruat. cap. 7. p. 231.

e) L. 3. §. I. D. ad SC. Tur.

pilian.

f) libr. VIII. cap. 7.

g) libr. VII. cap. 8.

h) pro C. Rabirio, cap. 2.

i) in bello Africano, cap. 5.

k) L. 41. D. de poenis.

l) deformulis, libr. v. cap. 217. p.

456.

m) loc. memorat.

n) operibus crimin, qu. num. I.

donationes: contra, si illud euenit et diligens iudex reuelatum crimen in lucem proferre studet, inuestigatio per sententiam *vel* ad finem producetur; *vel* non. Si ea haud finitur, nunquam condemnatio sequi potest, siue abolitio criminis, a principe impetrata; siue adpellatio ab inferiori iudice ad superiorem, quam damnati mors, pendente ipsa, sit sequuta; siue alia cauſa impedimentum fuerit, quo minus finiri potuerit inquisitio. Quis hanc rem in dubium vocabit de abolitione? Si verum est, vt est et vnanimi confensu doctorum censetur, aequiparandam esse abolitionum cum absolutione; neque aliam inter utramque esse differentiam; quam quod ista sit gratiae; haec vero iustitiae actus, obseruantibus F A R I N A C I O o), M Y L E R O p) atque E N G A V I O q), necesse profecto est, vt etiam illa donationes reorum capitis confirmet, de quibus adhuc dubium fuit, utrum seruanda sint; nec ne? Licet dein nos non fui-  
gat, in plerisque Germaniae prouinciis supplicibus adpel-  
lationis solarium haud esse relictum, quidquid dicant D A N.  
M O L L E R V S r), B E N. C A R P Z O V I V S s) atque alii; eum tamen simul rudem esse oporteret atque ignarum iuris Romani penitus, qui eamdem consuetudinem obtinuisse contenderet Romae; nec adpellare potuisse eos, quibus capitalis sententia sit pronuntiata. Quum in capitalibus ibi cauſis ea-

dem

o) oper. crim. quaest. 4. num. 1.

r) semeſtr. libr. III. cap. 33. p.

501.

p) nomolog. cap. 16. §. 10.

s) pract. criminal. part. III.

q) diff. de abolitione, §. XVIII. p. quaest. 139. p. 321.

dem ratione adpellare liceret; qua in ciuilibus: immo id in ipsis permisum esset non solum reis; verum etiam eius propinquis atque amicis<sup>t)</sup>, eundem effectum procreare oportuit prouocationem, a capitali sententia factam; hancque penitus suspendere. Neque itaque dici potuit, pendente adpellatione condemnationem esse sectamat. Quumque de testamentifactione aperte statuit auctor noster MARTIANVS u): eius testamentum valere, qui in capitali crimine damnatus, adpellauerit et medio tempore perdente adpellatione fecerit testamentum et ita deceperit, non fallimur, si a testamentis concludamus ad donationes et idem de his valere debere, cum PETR. DE TOVLLIEVX) existimemus. Sed iam restat ultimas denique casus, si finitur inuestigatio criminis per sententiam. Illa esse potest vel condemnatoria; vel absolutoria. Haec efficit minime condemnationem ideoque multo minus irritas donationes reddit, quas capit is facit accusatus; vbi vero condemnatoria sit promulgata, tunc adebet casus, quo condemnatio crimen sequitur capitale ac sententia ipsa omnes auferit donationes, quas capite damnati contraxerunt commisso facinore.

## §. XI.

Ex his quum satis clarum est atque euidentis, donationes a capite damnato post crimen contractum factas haud

valere, vbi condemnatio sit secura: varia ac diuersa ea ex  
re

<sup>t)</sup> L. 6. D. de adpellat. I. 29. C. permis. CONRAD. RITTERSHV-  
sodem tit. I. 2. §. vlt. D. quando ad-  
pellat.

<sup>u)</sup> L. 9. D. quibus testam. fac. <sup>x)</sup> collectan. diff. I. cap. 9. p. 41.

re ducere possumus confessaria, quae singularem adhuc lucem adferunt legibus quibusdam, ista egregie ac belle confirmantibus. Primum est: *Omnis ac singularis donationes, antequam crimen sit perpetratum, factae, validae sunt, licet dein morti adhuc tradatur donator ob crimen superueniens.* Egregie confirmant hoc duo effata **V L P I A N I**, quum in eorum priori ita loquitur *y*): *Si maritus uxori donauerit et mortem sibi ob sceleris conscientiam concuerit; vel etiam post mortem eius memoria eius damnata sit, revocabitur donatio, quamvis ea, quae alii donauerit, valiant, si non mortis causa donauit; in posteriori vero haec scribit *z*): si aliquis mortis causa donauerit et poena fuerit capitinis affectus: remaneatur donatio ut imperfecta: quamvis ceterae donationes sine suspicione poenae factae valeant.* Sunt quidem, quibus aliiquid difficultatis habere memoratae duae leges sunt visae et e quibus nominare saltem possumus **A L B E R I C. G E N-**  
**T I L E M**, quem mirum in modum lex prior, ut ipse fatetur, cruciavit; verum nihil aliud vterque locus statuit; quam quod nostra lex tradit, licet tantum dissidium esse videatur inter omnia haec tria effata, ut difficile profecto tolli posset negotio. In prioribus verbis loquitur iurisconsultus de donationibus eius, qui alicui quid donauit: *dein scelus commisit: poenam tamen haud subiit; sed ita potius decepit, ut vel mortem sibi sceleris causa concuerit; vel naturalem quidem passus; attamen memoria eius sit damnata postea.* Eiusmodi donatorem cogitare nos oportet, si recte percipere volumus mentem iurisconsulti. Loqui eum de do-

E 2

nato-

*y) L. 32. §. 4. D. de don. inter vir. et uxorem.*

*z) L. 7. D. de donat. mort.*

*causa.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-344539-p0039-7

DFG

natre, qui donationem fecit; antequam flagitium committeret, cum ALBERIC. GENTILI a) ex priorum verborum struetura coniicere licet, et quamvis quidem quis obiicere nobis posset, etiam VLPIANVM de donatore loqui potuisse, qui perpetrato criminе, donasset; omni iure tamen sententiam tamdiu tuemur, donec eiusmodi aduersarius ostenderit, VLPIANVS reuera hanc; neque nostram elegisse speciem eamque maiorem habere probabilitatem. Requirit dein auctor adhuc aliud de tali homine, vt decesserit nimirum et mortem sibi consciuerit. Non ipsi omnis cauſa, cur humanitatem ita eiurauerit, vna eademque est; sed non sine ratione addit, eum oportuisse mortem sibi consciuisse *sceleris cauſa*. Haud obscure per id significat, se ab eorum partibus stare, qui cum Stoicis cauſas τῆς αὐτοχήσεως sedulo distinguunt ac diudicant; neque in vnum censem scribunt homines, qui flagitii conscientia ducti eosue, qui ex vitae humanae taedio ac contemtu illi finem faciunt. De his quum statuerent Zeno eiusue adscelae, Stoici, ipsos facinus committere, non modo non vituperandum; verum etiam nonnunquam laude quadam dignum b): dogma hoc etiam fautores suos inuenit inter iurisconsultos, e quibus PAPINIANVM c), NE-

RATI-

a) libr. 1. de coniurat. p. 116.

b) prouocamus hanc in rem ad

PLINIVM, libr. XXVIII. bift.

natur. cap. 2 ERNECAM, epifol.

XVIII. Conferas: IVST. LIP-

STIVM manuductione ad philos. Stoi-

cam, diff. XXII. p. 153. IO. RO-

BRCK de morte voluntaria philoso-

phor. et honor. virorum etiam iudeo-

rum et christianor. IO. FRANC.

EVDEVS, de error. Stoicosum,

diff. III. §. 5. et GOTTH.

FRID. OESFELD de Stoicorum in

defendenda Catonis autochiria errore,

Halaе, 1556.

c) L. 3. pr. de bonis eor. qui ante

sentent.

RATIVM PISCVM d) PAVLVM e), ARRIVM M-  
NANDEVVM f), et VLPIANVM g), nominare possu-  
mus. Omnes hi iurisconsulti conueniebant hac in re cum Ze-  
none ideoque nemini profecto mirum erat, quid sit, quod  
hoc loco: sceleris causa addit. Eodem praecepto imbu-  
tus sine dubio criminacionem, se superuacaneum quid pro-  
tulisse, veritus est, vbi de eorum donationibus quaestione  
mouisset, vtrum validae fuissent; nec ne? qui vitam contem-  
nunt ideoque mortem subeunt voluntariam. Eam quidem  
rem ita constare arbitratur, vt nulla egeat disputatione; num  
vero eadem ratione iis liceret donare, qui mortem sibi scele-  
ris causa adsciscunt; nec ne? dubium forsan ipsi videtur  
ideoque illud hic definit. Comparat hoc cum autochiro iu-  
risconsultus alium donatorem, cuius memoria sit damnata.  
Poena haec erat ordinaria, qua cum aliis grauissimis animad-  
uerctionibus adsciebantur criminis maiestatis; seu perduelli-  
onis rei, vbi statuae eorum, imagines et tituli detraherentur

E 3 ac

- d) l. II. §. 3. D. de bis, qui not. nium. libr. I. cap. IO. p. 61. CON-  
infam. RITERSHVSIVS, com-  
e) libr. V. sentent. tit. 12. mertor. ad institutions, 242. ANT.  
f) l. 3. §. poen. D. de re militar. SCHVLTINGIVM, in iurisprud. An-  
g) l. 6. §. 7. D. de iniust. rupt. et teiusfinianea, p. 476. C.R. HANN.  
irrit. fact. test. Legas: PAGANIN. FABROTTVM, exerc. V. de morte  
GAVDENTIVM iuridic, exposit. libr. voluntaria, tom. III. thesaur. iuris  
1. cap. 24. tom. III. thes. iuris Romani, p. 1187. CORNELIVM  
Romani, p. 362. ELBERT. LE- VAN BYNCERSHOECK, libr.  
ONINVM, libr. IIII. emendat. IIII. obseruat. iuris Rom. cap. 4.  
cap. 5. EDM. MERILLIVM, libr. tom. I. oper. p. 345. IAC. CVIA-  
1. obseruat. cap. 23. HVG. GRO- CIVVM libr. XXVI. obseruat. cap. 40.  
TIVM, floranspars. ad ius Infinia- EVOTTONEM, in Papiniiano, cap. 9.  
uem, p. 280. ed. GEBÄVERI, p. 228. GERH. OELRICHS, in  
IAC. GVTHERIVM, de iure ma- vita Martiani, libr. I. cap. 7. p. 45.

ac nomen e fastis, ut memoria eius plane aboleretur, eraderetur. **A**RIANVS <sup>b)</sup>, **T**ACITVS <sup>c)</sup>, **H**ERODIANVS <sup>d)</sup>, **C**APITOLINVS <sup>e)</sup>, amplissima iam <sup>f)</sup> eius rei nobis praebent testimonia, quibus nonnullae leges merito sunt adiicienda <sup>m)</sup>. Quum maxime duram atque acerbissimam memoratam poenam arbitrarentur, nemini profecto ista subeunda erat; nisi ei, qui crimen, ista dignum, commiserint. Haec est causa, cur satis clare se locutum esse, auctor sit arbitratus, ubi a poena reum describat, neque adiiciat delictum, quo se polluerit; per id vero, quod immisceat voculam: *post mortem*, magis adhuc mentem suam declarat nosque docet, se eiusmodi perduellem donatorem sibi fingere, cuius scelus, ipso superstite, haud fuerit detectum; sed manifestatum potius post eius decessum, adeo, ut nullam amplius poenam pendere posset reipublicae; nisi damnationam memoriae. Ex his, quae adhuc disputauimus, clare eluet, quaenam sint personae, de quarum donationibus hac in lege sit sermo. Distinguit illas iam inter se maxima cum diligentia, licet illud paullulum teuste faciat. Quodsi eiusmodi homo, qui crimen commisit, antea donationem fecit; eius vero poenam haud luit; sed solum mortem ex eius conscientia sibi consciuit;

fui,

*b)* *dissensat. Epistole. 1111. cap. 5.* *ind. Euolu. IAC. RAEVANDVS, libr. III. conjecturæ. cap. 16. RADVLPH.*

*i)* *histor. libr. 111. cap. 13.*

*k)* *in Maxiuino, cap. 23.*

*l)* *libr. VIII. histor. Romaniae, cap. 5.*

*m)* *L. 6. §. 8. D. de invist. nupt. et invit. testamento: l. 32. §. fin. D. de donat. inter vir. et uxor. l. 76. §. fin. D. de legislat. 11. §. 3. 1. de publ.* *CHRIST. HENR. ECKHARDVS, hermeneut. iuris, libr. 1. cap. 5. p. 173.*

fue, vbi naturali sit defunctus, memoria eius est damnata: donauit vel inter viuos; vel mortis causa. Donationes mortis causa, vti testamenta, haud prius confirmantur; quam morte *n*), quumque illam semper antecesserit delictum, quod contraxit, illae nunquam in donationum, ante crimen factarum; seu potius perfectarum, censum venire possunt ideoque recte illas hic excipit *V L P I A N V S o*: *si non mortis causa donauit*. Quodsi mortem haud respexit eiusmodi donator, vti illum supra descripsimus, donauit ille inter viuos, idque vel vxori; vel extraneis. De donationibus, inter virum eiusue vxorem factis idem dicendum est, quod de donationibus mortis causa affirmatur; neque alicui mirum esse id debet; nisi sit hospes in iure Romano penitus. Prohibitae sunt ordinarie illae, quumque eam ob causam non; nisi morte possent firmari *p*), ea- dem ratione earum in donationum, quae ante eiusmodi do- natoris crimen fuissent perfectae, censum cadere queunt. Sa- pienter itaque atque scite dicit *V L P I A N V S*: *si maritus uxori donauerit --- revocabitur donatio q*). Sed supersunt solum donationes, quas eiusmodi homo extraneis fecit inter viuos

- n*) §. 1. *I. donat.* [L. 25. 27. 32- obseruat. cap. 15. p. 613. ANTON.  
D. de mortis causs. donat. SCHVETTINGIVM in iurisprud.  
o) L. 32. §. 7. *D. de donat. inter.  
vir. et uxoreni.* Anteiusfinianea, p. 312. ex CORN.  
*p*) ex sententia orationis diu Se- VAN BYNCERSHOECK, obser-  
ueri, in l. 32. pr. et §. 2. *D. de do- uat. iuris Rom. liber. v. cap. 18. tom.  
nat. inter virum et uxorem memor- II. operum, p. 93. sqq.  
rae, ex qua quidem ea quoque  
deriuanda sunt, quae habentur in  
PAVLII libr. 11. sententiar. respe-  
ctu. tit. 23. §. 5. p. 312. Conferas  
IAC. CVIAGIVM, libr. XVIII.*

viuos. Illae statim perfectae sunt, vbi contrahuntur hodie que vbi accidit; antequam crimen sit commissum: illae sunt unicae, de quibus recte monet iurisconsultus, ea, quae alii donauerat, valere. Quod VLPIANVS hoc loco itaque exposuerat: idem profecto idque aliis tantum verbis factum est altera, quam supra recitauimus, lege. Loquitur ibi generatim de reo, qui capit is poena fuit adfectus et tamen; antequam crimen sit commissum, fecit donationem. Exhibet nobis hic euidentius indicium, sermonem hic esse de hisce donationibus, quum illas *sine suspicio-  
ne poenae factas* vocat et per eas, ut quoque obseruat ZACCH.  
HYTENVS r), donationes intelligit, ante contractum crimen factas. Dispescit illas iterum in mortis causa donationes atque eas, quae celebrantur inter viuos. De his; non vero de illis adfirmat iurisconsultus, *illas valere* hacque ratione denuo multum robur addit regulae, a nobis supra nostra ex lege deductae.

### §. XII.

SEQUITVR secundum consecutarium: *Quorum reorum condemnatio fieri debet in ipsorum vita, eorum donationes, post flagitium contractae, si illud haud eneniat, morte ita corroborantur, ut reuocari nequeant.* Ita enim argumentamur. Clarum est atque iam extra dubium positum, condemnationem debere sequi crimen, si donationes, post illud factae, sunt reuocandae. Vbi delictum est ita comparatum, ut eius inquisitio cum morte rei finiatur; neque illa continuari queat, ipso mortuo, tunc illud, vbi reuera  
e vita,

r) diff. iur. libr. IIII. diff. v. p. 528.

e vita, dum durat inuestigatio, reus migret, condemnatio nunquam sequi debet. Ergo inde merito concludimus, mortem illud tempus esse, quo eiusmodi donationes confirmantur. Hoc quum certum est atque expeditum: ab eo ad contrarium argumentamur et cum his tertiam coniungimus regulam: *quorum reorum condemnatio fieri potest post mortem, eorum donationes, post crimen factae, etiam post mortem primum evanescere possunt, si condemnatio adhuc succedit.* Romani haud facile reum sine defensione communis, cui quam maxime studebant, humanitatis causa, condemnarunt haecque fuit causa, cur ordinarie crimina; nisi reis viuis fuerint detecta et punita, morte ipsorum, sepulta essent penitus atque sublata s); tantum tamen absuit, vt idem de perduellionis crimine statuerent; vt, lege potius Iulia maiestatis t) euae, quam SEVERVS et ANTONINVS u), ARCADIUS ET HONORIUS x) promulgarunt, de tam detestabili ac nefando scelere cauerent ac sanctirent, inuestigationem illius etiam post mortem, vbi detegatur, esse incipienda, et reorum bona saltem fisco addicenda. Hoc in delicto itaque condemnatio fieri potest post mortem. Eo itaque iam legis nostrae auctor, MARCIANVS, respexit, quum addit, *si condemnatio sit secuta:* nec definit, vtrum in vita id fieri debat; an idem liceat post mortem; sed rem adhuc clariorē reddit nostrumque dogma, supra prolatum, egregie corroborat,

s) L. 20. D. de accusat. et inscript. n) L. 20. D. de accusat. et inscript. que addit crimen repetundarum et de hoc idem iubet.

z) PAULLVS, libr. v. sententiār. x) L. quisquis C. ad leg. Iul. mai. zif. 29. §. 15.

roborat PAPINIANVS <sup>y)</sup>: ratae donationes esse, inquit, non possunt post crimen perduellionis contractum, quum heredem quoque teneat; et si nondum postulatus vita deceperit. Conferas: SCIP. GENTILEM <sup>z)</sup>, RADVLPH. FORNERIVM <sup>a)</sup>, FRANC. BALDVINVM <sup>b)</sup> atque EVER. OTTONEM <sup>c)</sup>.

## §. XIII.

QVONIAM denique nostra in lege generatim de omnibus donationibus, post contractum capitale crimen factis, est sermo; neque strictius eae sunt definitae, quartum ex eoducimus consecutarium: *baud interest, vtrum donationes sint mortis causa; an inter viuos: vtrum simplices; an remuneratoiae; sed omnes ac singulæ, vbi condemnatio crimen sequatur, post quod sint contractæ, evanescunt.* De donationibus mortis causa nemo profecto dubitat, quum illæ nunquam valent, vbi donatorem poenam capitalem subire oportuit et eae etiam evanescunt, quae ante reatum in aliquem sunt collatae <sup>d)</sup>). Ab iis merito argumentum ducere possumus ad donationes, quae post crimen contractum sunt factæ; nos vero tuto ita ratiocinari posse, belle docet VLPIANVS <sup>e)</sup>, quum ait: *si aliquis mortis causa donauerit et poena fuerit capitis*

<sup>y)</sup> L. 31. §. fin. D. de donat.

BERGIVM, princ. digestor. libr.

<sup>z)</sup> de coniurat, libr. I. p. 116.

XXXVIII. tit. v. tom. II. operum,

p. 375.

<sup>a)</sup> libr. I. ver. quotidiana. cap. 3.

<sup>d)</sup> L. 31. D. de mort. caus. donat.

<sup>b)</sup> disp. ad l. I. Iul. maiest. cap. 8.

<sup>e)</sup> L. 7. D. de mort. caus. donat.

<sup>c)</sup> in Papiniiano, cap. 17. p. 716.

Adiungas: IO. ORD. WESTEN\*

pitis adfectus, remouetur donatio ut imperfecta. Neque vero aliud statuendum est, ut recte monet PETR. DE TOVLLIEV f), contra NIC. CHRIST. LYNCKERVM g) de donatione inter viuos. Colligendum quidem id iam est ex eo, quod vniuersle prolata sint a MARTIANO verba; sed in hoc acquiescere haud debemus, quum hanc in rem testarino-  
bis licet VLPIANVM eiusue supra memoratum locum.  
Postquam de donationibus mortis causa loquatus est, per-  
git iurisconsultus ad ceteras donationes et sub his alias haud  
intelligit; quam donationes inter viuos, quoniam tertium  
earum genus haud cogitari potest. Statuit quidem,  
eas valere; quum tamen aperte id adfirmare vult de  
iis, quae sine suspicione poenae sunt factae, illas excludit;  
quae post crimen commissum sunt contractae et de iis tacite  
adserit, illas haud valere. Magnadein differentiarum copia  
adest inter simplices atque remuneratorias, quarum quin-  
quaginta nominat CHRIST. FERDINAND. HAR-  
PRECHT VS h); illa tamen ex nostra quidem sententia eo  
haud referri potest, quod simplex donatio a reo post crimen fa-  
cta euaneat; minime vero remuneratoria. Vtraque  
nihilominus inter se in eo conuenit, quod sit alienatio,  
quumque haec quoque sit vera ratio, cur donationes eiusmo-  
di hominis, in quorum bonis fisco iam competit ius perfe-  
ctum, sint inualidæ, ut id supra demonstrauimus, et ex  
lege ARCADII et HONORII i) liquet, legem nostram

f) coll. etan. diff. 1. p. 39. arum donationis remuneratoriae et  
g) ad l. 69. D. pro Soc. cap. simplicis, Tübinger, col. CCCLIII.  
4. p. 33. i) L. quisquis C. leg. Iul. ma-  
h) sémicenturia potiorum differenti- istatis.

merito de vtraque donatione interpretamur. Sed num quoque eadem ratione donationem puram cum conditionata comparare possumus, si ante reatum sit confecta, post illum vero completa conditio, quae ei sit adiecta? Consulamus hic *IVLIANVM k*): *si pecuniam, inquit, mihi Titius dederit absque illa stipulatione, ea tamen conditione, ut tunc demum mea fierit, cum Seius consul factus esset: siue furente eo; siue mortuo, Seius consulatum adeptus fuerit, mea fiet.* Quamquam *IVLIANVS* aliam hic sibi fingit speciem: docet nos tamen, in conditionata donatione, ubi impleatur conditio, ei adiecta, respiciendum esse tempus, in quo donatio perfecta sit; non vero illud, in quo impleta sit donatio, quoniam hoc si statuisset, absurdum fuisset, donationem cogitare furentis; seu mortui. Hoc si quoque hic adsumamus, facile quaestio, supra in medium adlata, est decidenda. Si conditionata donatio ipsa ante delictum sit contracta, semper salua manet; illud vero minime dicendum est de donatione conditionata, in reatu contracta.

## §. XIV.

SED iam ad nobilissimam scriptioris huius peruenimus partem. Restat nunc adhuc, ut dispiciamus, qua ratione nostra aetate applicari possit doctrina de donationibus capite damnatorum. Sunt quidem, qui existimant, illam prorsus esse abolitam, et in quibus *PETRVM* inuenimus *WESEN-*

BECI-

*R) L, 2. §. 5. D. de donationibus.*

B E C I V M <sup>1)</sup>; sed nullo profecto iure illud ipsi possumus largiri. Distinguere potius nos oportet crimina atque in iis secernere crimen perduellionis ab aliis flagitiis. Quam illud omnibus temporibus tam detestabile sit visum, vt etiam in recentioribus iuris civilis legibus, quae alioquin abrogarent in reliquis criminibus bonorum publicationem, id exciperetur haecque isti semper resertarietur <sup>m)</sup>, factum est, vt istam poenam etiam perduelles subire oporteret apud nostrates: immo ea Germanicis legibus confirmaretur, qua de re ea clarum exhibent testimonium, quae statuerunt imperatores C A R O L I IV <sup>n)</sup>, pariter ac V o). Nemo iniusti potest, istas severas sanctiones adhuc constanter et adcurate seruari. Accidit per illud, vt bona eiusmodi perduellium ordinarie fisco cedant, quumque haec vera est ratio, cur ea, quae antea exposuimus, nostra in lege sint statuta: non potest fieri; quin nos de donationibus, quas perduellis, crimine perpetrato, in aliquem contulit, idem iam sentiamus, quod olim de donationibus capite damnatorum generatim statuerunt Romani. Conuenit sane inter omnes iurisconsultos, criminis laesae maiestatis reis, ideo, quod bona eorum publicentur, denegandam esse testamenti factionem. Superuacanei operis culpam itaque effugerem, si in probando hoc dogmate operam consumerem; nec satis haberem, ad C H R I S T . P H I L . R I C H - T E R V M <sup>o)</sup> aliosue prouocare. His accedit, quod Carolus quartus in satis celebri sanctione aureae bullae nomine nota q) do-

F 3

na-

1) paratiel. ad dig. tom. II p. 605.

m) auth. bona damnator. C. de bo-  
bonor. proscript. et damnat.

n) aur. bull. cap. XXIIII. §. 3.

o) C. C. C. art. CCXVIII.

p) decis. LXXXV. num. 5.

q) aur. bull. cap. XXIIII. §. 8.

nationum ipse mentionem fecerit, quas reuocandas censet, vbi factae fuerint a perduelle, *dotes*, inquit, *donations* quorumlibet, postremo item alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude; vel iure factas esse confiterit, quo primum memorati de ineunda factione ac societate cogitauerint, nullius statuimus esse momenti. Rebus hisce ita comparatis, non dubitarunt BERNH. AVTVMNVS<sup>r</sup>), SIMON A GROENEWEGENS<sup>s</sup>), PHILIBERT. BVGNYON<sup>t</sup>), ac IO. OTTO TABOR<sup>u</sup>), nostram legem ratione criminis perduellionis inter eas referre, quae abrogatae hodie sunt minime; sed adhuc adcurate obseruantur. Reuocari itaque posse a fisco mortis causa donationes, ab tali reo contraetas, recte contra collegium iurisconsultorum Argentoratensis<sup>x</sup>) animaduertit AVGVSTIN. LEYSERVS<sup>y</sup>). De iis, quae celebrantur inter viuos, idem cum ANTON. MATTHAEI<sup>z</sup>) merito statuendum est, licet de his similiter necesse esse existimemus, vt factae sint post crimen commissum eiusue reus condemnatus fuerit; vel saltem conuictus. Etenim CAROLVS<sup>a</sup>) aperte praecipit: wenn jemand beklagt vnd in Recht erfordert oder gebracht würde, von Sachen wegen, so er der überwunden, sein Leib; oder Gut verwürket hätte, und aus Furcht solcher verschulder Strafe sich selbst ertötet, dessen Erben sollen

<sup>r)</sup> ad rubr. de donationibus, p. <sup>s)</sup> apud IO. SCHILTERVM,  
519. exerc. L. §. 9.

<sup>t)</sup> de legib. abrogat. ad l. 15. D. <sup>u)</sup> mediat. ad pandectas, vol. VI.  
de donat. p. 281. spec. CCCCXXXVIII. med. 6. p.

<sup>v)</sup> de leg. abrogat. libr. VI. cap. 1256.  
87. p. 542. <sup>w)</sup> commentar. de criminibus, libr.

<sup>u)</sup> paravit. ad tit. C. de donation. XLVIII. tit. XVIII. cap. 2. p.  
§. XIII. tom. I. traditatum. p. 562. <sup>x)</sup> artic. CXXXV.

918.

sollen in diesem Fall seines Guts nicht fähig; oder empfänglich; sondern solch Erb und Güter der Obrigkeit, der die peinliche Strafe, Buß und Füllen zu stehen, beiengefallen seyn, hac que in causa confisctionem bonorum admittit. Quodsi vero iam legem, a nobis supra traditam obseruare velimus, semper eorum simul donationes infirmantur, quorum bona publicantur, ideoque eas merito etiam hoc in casu inutilidas censemus ideoque eus. Disputarunt nonnunquam iurisconsulti, vtrum bona a die commissi criminis; an ex eo tempore, quo sententia sit lata, fisco cedant? sed in decidenda hac lite operam haud perdamus. Neque hac in re mutatam esse in Germania nostram legem omnesue donationes infirmari, quae post crimen sint factae, testis est CAROLINA sanctio b). Vbi enim de donationibus perduellium dicit, illas esse nullius momenti, non sine causa monet, hic omnes donationes intelligendas esse, qualibet fraude vel iure factas esse constitutit, quo primum memorati de inunda factione ac societate cogitauerint. Qualis quoquo confensus concentusque legis Romanae huiusque decreti?

## §. XV.

RAEC de crimine perduellionis; sed longe alia est ratio reliquorum delictorum. Si ius Romanum respiciamus, non possumus afferere, antiquioribus eius legibus hac in re per recentiores esse derogatum. Liceret IUSTINIANVS sustin-

b) CASP. A RHEDEN, de iis, ENGAVIUS, comp., iur. criminal. quae in criminis laesae maiest. occur. libr. I. tit. XXXXIIII. p. 268. sunt singularia, §. XXVIII. S. M. FRID.

WILLEMBERGIVS, de feminis criminis laesae maiest. rea, §. XVIII. et §. 8.

fūstulerit seruitutem poenae *d)*, et confiscationem bonorum *e)*, cui subiecti erant ordinarie capite damnati; posterius tamen ita est factum, ut quilibet videat, ea descendentium saltem aliorumque propinquorum causa esse sancta ideoque nec per id nactum esse damnatum libertatem, quidquam alienandi. Bene id perspicuum iuris interpres et vna fere mente confitentur, *VLRIC. HVBERVS f)*, *ANTON. MATTHAEI g)*, *SAM. STRYCKIVS h)*, *WOLFG. AD. LAVTERBACHIVS i)*, *PETR. MULLERVS k)* aliique; sed longe alia est ratio iuris hodierni. Quum seruitutem poenae penitus ignoramus; neque, ut ciuis Romanus sit, qui testamentum facere; vel donare quid velit, requirimus, multis iuribus prouincialibus concessa est capitis reis potestas, de bonis suis libere disponendi et per id donationes quoque firmamentum sortiuntur, quas damnati post crimen commissum celebrant. Rudem illum esse oporteret atque ignorantum iuris *SAXONICI*, quem fugeret, omni tempore posse testari eius ex sententia *l)* hancque corroboratam esse diuersis ac variis iudicis celeberrimorum iurisconsultorum, *BENED. CARPOVIIIM*), *CHRIST. PHIL. RICHTERI n)*, *DAN. MOLLERIO*), aliorumque. Neque vero opus est nobis, ut hisce in terris persistamus. In iure *WVRTEMBERGICO p)* claris verbis est cautum: *de-nen, die nicht um höher Malefiz und Erzlaſter; sondern sol-*  
*cher*

*d) Nou. XXII. cap. 8.*

*k) not. ad Struv. tom. II. p. 638.*

*e) Nou. CXXXIV. cap. 13.*

*l) part. II. const. electoral. 6.*

*f) praefit. iuris civil. libr.*

*m) practic. nou. criminal. part.*

*XXVIII. tit. III. tom. III. p. III. qnaest. CXXXV. p. 287.*

*270.*

*n) part. I. decis. 7. num. 2.*

*g) tract. de crimin. p. 564.*

*o) comment. in ord. Sax. part. II.*

*b) de cautel. testament. cap. I. §. 13.*

*decis. 6. p. 344.*

*i) colleg. theor. practic. tom. II.*

*p) Württembergisches Landrecht,*

*lib. XXVIII. tit. I. thes. 29. p. 783.*

*part. III. tit. VI. p. 329.*

über Mishandlung wegen, welchen neben der Lebensstrafe die Confiscation der Güther nicht anhängt, zum Tod verurtheilt, lassen wir zu, daß sie vor; oder nach dem Urtheil, Testamenten; oder Codicill, doch sonst unserm Land; oder gemeinen Rechten gemäß aufrichten mögen; eadem autem ratione P A L T I N V S legislator scribit q): deren Testamente, so zum Tod verurtheilt, wosfern sie sonst unserm Land, oder gemeinem Rechten gemäß, voroder nach dem Urtheil aufgericht, lassen wir aus sondere Gnade und Milde zu. Neque minus memorata digna sunt, quae in NASSAUICA v) lege provinciali cauta sunt: aber auch diejenige, welche ihre Missethat halben zum Tod verurtheilet worden, ihr Testament und letzten willen mögen, bievon ist zu unterschiedenem mahlen Streit und Irrung vorgefallen; diemeil wir aber demselben, sofern sie sonst nicht etwa ein crimen laesae maiestatis, diuinæ; vel humanae; oder aber ein ander Missethat deswegen auch ihre bona und Güther zuconfisciren begangen, ein solches bisanhero aus Mildigkeit vergönnet und zugelassen haben, so setzen, ordnen und verlangen wir, daß außerhalb obangeregten Fällen den Uebelthütern auch hinkünftig ein solches verstatte und zugelassen werden, quibuscum tandem coniungenda sunt ea, quae in legibus suis cauent F R A N C O F V R T I E N S E S s). Quum merito concludere possumus a testamenti factione ad donandi facultatem: iure statuimus, in omnibus iis prouinciis, quae hisce parent legibus, criminum reos ordinarie libere donare posse; nisi ea est delicti ipsorum natura, vt confiscatio quoque bonorum illud sequatur. Neque vero aliud de reliquis Germanicis prouinciis adfirmare audemus. Tantum abest, vt cum S A M . S T R Y C K I O T ) confuetudinem illam, quae damnatis testandi licentiam concedat, stricte intelligendam esse, putemus; neque

G

q) ius prou. Palat. part. III. tit. II. §. 13. p. 317.

v) Nassauische Gericht und Landesordn. part. III. cap. I. p. 84.

s) der Stadt Francfurth erneuerte Reformation, part. IIII. tit. II. §. 6.

t) de cautelis testamentorum, cap. III. §. 54.

50. DISSERT. DE DONAT. CAPITE DAMNATI.

que recedendum arbitripiur à iure communi, si consuetudo haec haud probetur; vt damnatorum potius, eorum si bona haud publicantur, donationes aequae ac ultimas voluntates potius sine discriminē validas esse existimemus. Quam omnia ea iuris Romani capita, quae principiis nostris nostroque statui haud sunt conformia, apud nos plane non sunt introducta: idem de ea lege ciuili est dicendum, quae reos facultate testandi vel donandi priuaret. Satis constat omnibusque est notum, omnes eos, qui rerum habent dominium, de iis disponere posse tam inter viuos; quam mortis causa, sive sint cives; sive sint peregrini; sive hunc; sive illum teneant statum. Eruditæ id potissimum exposuit IO. SCHILTERVS u) et simul ex eo copiosius reis testamenti factionem vindicauit. Quid mirum itaque, quod MATTH. BERLICHII x), et IO. CHRIST. FROELICHII DE FROE LICHSEBVRG y), sententia hand multum fautores inuenierit; sed cum SCHILTERO plerique iurisconsultorum faciant antiquiorus aequae ac recentiorum ac per id simul donationes quoque capitis damnatorum ratas esse statuant? Nomina-mus saltim ex iis MATTH. COLERVVM, z) IVL. CLARVM a), PROSPER. FARINACIVM b), HENR. HAHNIVM c) WOLFG. AD. LAVTERBACHIVM d), SIMON. VAN LEVVEN e), NIC. CHRIST. LYNNCKERVVM f) GEORG. AD. STRUVIVM g) SAM. COCCEII h), atque illustrem IO. AVG. HELL- FELDIVM i).

- a) prax. iuris Rom. exere. xxxviii.  
ibef. 28.
- x) conclaf. practic. pars. III. cen-  
claf. 8, num. 13.
- y) commun. in nemesis Carolinam, libr.  
III. tit. XIII. p. 328.
- z) decif. XXXIV. p. 110.
- a) libr. III sent. quæst num. I.
- b) prax. criminis. quæst. 102.  
nr. 131.
- c) obseruat. theor. pract. in Wessen-
- beicum, part. post. libr. XXXVIII. p. 361.  
d) loc. laudat.
- e) cens. forensi, libr. III. cap. III.  
num 7. p. 252.
- f) respons. et consil. tom. I. respons.  
135. p. 149.
- g) ex. XXXI. §. I. tom. V. p.
- b) iur. controv. libr. XXVIII. tit.  
I, tom. II. p. 247.
- i) iurisprud. forens. pars. II. libr.  
XLVIII. tit. 18. p.

PRAE-



PRAENOBISSIMO AC CLARISSIMO  
VIRO  
**CHRIST. LVDOV. KERNER**  
LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRō IVRIVMQVE CAN-  
DIDATO DIGNISSIMO  
S. P. D.  
**P R A E S E S**

**A**CADEMIA nostram relinquis et ad patrios discedis lares, vt vetus quondam gladiator e palaestra domum rediit, palma decoratus. Ex quo tempore Tübingerse musarum domicilium cum nostro commutasti, omni studio ac cogitatione in id incubuisti, vt cursum, in quo eras, conficeres cum laude et, licet iam abundares praeceptis philosophiae ac iuris disciplinarum, ista in sapientiae officina haustis; maiores tamen in iis progressionibus facere studiasti. Peruenisti iam ad metum feliciter. Decreuit **TIBI** illustris iurisconsultorum ordo honores amplissimos, qui tribuant laborum **TVO-RVM** praemium meritum grauissimumque **TVAE** virtutis ac praeclarae scientiae testimonium; vt autem eorum partipem reddere te queas, crastina luce campum **TIBI** aperiet, in quo cum litterarissimis aduersariis pugnam illam sollemnem more maiorum committas et publicum documentum singularis **TVAE** doctrinae edas. Facile perspicere potes, **VIR PRAENOBISSIME**, quam laetitiam capiam ex fortunato rerum **TVA-RVM** statu, quum per totum temporis spatium, quod apud nos commoratus es, testis existi ac spectator laudabilis **TVAE**, in iure proficiendi, cupiditatis ideoque non opus est, vt pluribus verbis gratulandi perfoluam officium. Seruet te deus optimus saluum et in columem: omnia, quae suscipias, ex sententia succedere iubeat atque efficiat, vt patriae commo-dis inferuire possis quam diutissime. Ienae d. xv. iul.

anno christianor. CCCCCCLXVI.

G 2

VIRO

VIRO  
PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOCTORANDO CONSULTISSIMO

S. P. D.  
I A C O B V S R A V E  
PH. ET I. D.

**D**IGNVM TVIS laudibus praemium laura doctoralis TIBI  
impertietur. En dignam congratulandi materiam! sit  
TIBI hoc praemium auspicatum, sit ianua maiorum honoris  
graduum. Ita praepolleas honore, prout doctrina praepolles  
pluribus. Adiociasti me, iis, qui suo dissensu TVAM erudi-  
tionem prouocare debent, quo officio gratius nihil conti-  
gere mihi potuisset, defungar eo, vt ex TE aliquid profi-  
ciam, et doctrinae tuae admiratione magis constrin-  
gar. Vale.

VIRO  
CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
CHRIST. LVDOV. KERNERO

PHILOSOPHIAE AC LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRO  
ET IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO FAVORI  
SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.  
GOD. IVST. GVIL. SALZMANN, D.  
OPPON.

**E**RUDITIO quidem eo maxime conduit, vt homines apti-  
fiant ad reipublicae inferuendum, at vero, si sine vir-  
tute est, noxia potius, quam utilia reipublicae membra reddit.

Quo-

Quoties autem, **VIR CLARISSIME, TVAM** omnium iurium solidiorem scientiam, philosophiae et bonarum artium doctrinam, honores iam adquisitos et animum bene moratum mecum perpendo, in mentem venit, in **TE** eruditionem atque virtutem concatenatas reperiri. Itaque gratulor **TIBI** hac exoptatissima occasione, qua me eruditionis atque virtutis **TVAE** aestimatorem exhibere, mihi licet, summos ab illustri Iectorum ordine decretos honores; Gratulor hos doctrinarum adquisitarum fructus, quos cum aliis speciminiibus produxisti; Gratulor tandem hoc nouum documentum, quod praesertim speciminiis inauguralis causa elegeris argumentum nec vulgare; nec compluries iam ventilatum, maxime tamen in foro proficuum. Caeterum vale mihi que faue.

Dabum Ienae die xv. Iulii **CLXXXXVI.**

**VIRO  
CLARISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO  
SVMMORVM IN VTRQVE IVRE HONORVM  
C A N D I D A T O  
DIGNISSIMO**

S. D. P.

**IO. FRID. ADOLPH. ZWANZIGER**

OPPONENS.

**S**i praemia eruditionis virtutumque eos omnino sequuntur, qui constanti proposito indefessaque industria altiorum disciplinarum pariter ac morum elegantiorum viam presso pede sunt ingressi atque emendi, merito sane **TIBI** ad summos in iure honores patractus est aditus. Quia in te cum cuiuscunque aequi rerum arbitrii vna eademque mecum sic sententia,

54

sententia, rem et superfluam et meis viribus superiorum moliri viderer,  
si T<sup>A</sup>V<sup>R</sup>V<sup>M</sup> laudum praeconem agere vellem. Id potius officii mihi  
incumbere video, ut gratum T<sup>I</sup>B<sup>I</sup> profitear animum pro singulari T<sup>V</sup>A  
erga me humanitate, qua dignum me iudicasti, cui in specimine recon-  
dita eruditio referro, quod ad publicam disquisitionem exponere pa-  
ras, dissentientis sparta comitatur. Ita vero, qui saepius T<sup>E</sup> strenuum  
inter privatos parietes sum expertus veri defensorem, ex publica iam  
cathedra T<sup>E</sup> eius caussam agere videbo. De laboribus in iurisprudentia  
feliciter exantlatis coronideque iis imposita ex toto igitur mente T<sup>I</sup>B<sup>I</sup>  
gratulor. Faxit supremum numen, ut mox in patriam redux vberrimos  
diligentiae T<sup>V</sup>A fructus capias. Vale mihique fauere perge. Dab.  
Ienae d. xvi. Iul. c<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>cl<sup>xvi</sup>.

MONSIEUR,  
MON TRÈS HONORÉ, ET TRÈS CHER COUSIN!

**V**ous voilà dans le temple de Themis, paré des lauriers des honneurs  
les plus éclatantes; et Vous recevez à cette heure les fruits de  
Vos veilles, et de Vos travaux; Vous le méritez, et Votre mérite est  
récompensé; j'en ai une grande joie, de voir élevé au rang d'une telle  
dignité un ami aussi sincère, et aussi tendre, que Vous êtes; je me sens  
émù d'un doux transport, je Vous en felicite, et, après m'avoir recom-  
mandé en Votre affection, et amitié, je suis par toute ma vie

MONSIEUR

MON TRÈS HONORÉ, ET TRÈS CHER COUSIN!  
à Jene, le 5. de Juillet.  
1766.

Votre très humble, et très obéissant serviteur,

G. G. BOECKLEN,



**ULB Halle**  
004 453 824

3



S6







Or. S. num. 43  
1766, 12

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVG<sup>R</sup>ALIS  
DE  
DONATIONE  
CAPITE DAMNATI  
AD L. XV. D. DE DONAT.

QVAM  
EX DECRETO  
ILL. IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
CAROL. FRIDER. WALCHIO  
*IVR. DOCTORE ATQVE PANDECT. PROFESSORE PUBLICO ORD.  
CVRIA PROVINC. SAXON. COMMVNIS IVRISCONS. ORDINIS AC  
SCABINOR. COLLEGII ADSESSORE SOCIET. LATINA  
IENENSIS EPHORO ATQVE FLORENTINAE  
COLVMBARIAE COLLEGA*

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN IVRE HONORES CONSEQUENDI  
D. XVI. IUL. CICDCCCLXVI.  
PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTIT  
AVCTOR  
M. CHRIST. LUDOV. KERNER  
HECHINGENSIS.

I E N A E  
LITTERIS STRAVSSIANIS.

KENI<sup>ST</sup> UNIV<sup>RS</sup> ZVHALTE